gantur officiis, iis videlicet, quæ & religioni, & civili debent ſocietati, quarum membra ſunt: 4. cum Dei filius præcipit in evangelio, ut mundum fugiamus, ut illum oderimus, ne poſt pravas illius conſuetudines abeamus, intelligi leges legibus, inſtitutiſque evangelicis oppoſitas; in hoc unum quippe decidunt anathemata, & maledicta, quæ toties Jeſus Chriſtus adverſus mundum contorquet.

Quilibet Chriſtianus tenetur ſtatus ſui munera obire.

Cum voluerit Deus politicum, & civile corpus ex variis coaleſcere partibus, non ſecus ac corpus materiale; cum alios in ſublimi, alios in imo gradu collocaverit; cum alios ad imperandum, alios ad obtemperandum elegerit; cum per vocationis gratiam ſingulos alicui deſtinaverit ſtatui; liquido conſtat, cum quilibet homo ſit politici corporis membrum, ad id factum eſſe, ut diverſa ſtatus ſui munera adimpleat, quemadmodum in humano corpore membra diverſa diverſis, ſibique propriis officiis deſtinata ſunt. Hinc ſequitur: 1. cum homines quamplurimis invicem neceſſitatibus, quæ illos ex neceſſitate ſocietatem fovere cogunt, conjuncti ſint, quandoquidem nemo ſingillatim alienis carere poteſt auxiliis, hanc ſocietatem, & mutuum iſtud commercium conforme eſſe ordini Dei ad hunc finem has permittentis neceſſitates. 2. Quæcumque igitur ad ſocietatem, & hunc ordinem a Deo conſtitutum ſunt neceſſaria, a Deo quoque imperari per legem naturalem, quæ quamlibet partem ad ſui totius obligat conſervationem. Verum, ut humana vigeat ſocietas, omnino neceſſarium eſt, homines ſe mutuo diligere, mutuis certare obſequiis, & ſervare officia, quæ diutina invexit conſuetudo, & ſine quibus diſcordia quamprimum eam conſenſionem infringeret, quæ inter illos eſſe debet, ac denique iis perfungi officiis, ad quæ legibus obligantur. 3. Fas igitur, immo opus eſſe ſumma cura urbanitatis obire munera ab hominibus conſtituta; quia curæ hujus rationes æquiſſimæ ſunt, quippe quæ divinæ legi innituntur. Hoc autem fieri debet ad auferendam ſuſpicionem, quæ ſuboriri poteſt, contemptus eorum, quibus ea non præſtarentur a nobis; & ad evitandas ſeu internas, ſeu externas exprobrationes eorum, erga quos deficeremus; & demum ad tollendas quaſcumque diſcordiarum origines pacem perturbantium, quæ ſemper in civili ſocietate regnare debet.

Quamquam ſæculi prudentia Dui ſit inimica, & veritatis ipſius oraculo reprobata; dici nihilominus poteſt, quemadmodum non deeſt mundus, quem Deus amat, & diligit, ita in mundo prudentiam eſſe, quæ minime opponitur prudentiæ, quam Deus fidelibus inſpirat. Hæc quidem ſæculi prudentia vocanda non eſt; hoc enim nomen ſemper in deteriorem partem accipitur; verum tamen hæc omnium eſt ſæculorum. Hæc illa felix eſt prudentia, quæ efficit, ut cœli via inter ſæculi tumultum, ubi tot animæ pereunt, inveniatur; & ut filii ſæculi, eos intelligo, qui propter ſtatus ſui neceſſitatem tales ſunt, fieri poſſint filii lucis per ſapientiam, qua chriſtianæ vitæ officiis ſatisfacere edocentur, quin vitæ civilis officia negligant: homines, qui viam inveniant, qua pergant ad Deum viventes in mundo, quin ſecundum mundi ſpiritum vivant, & de quibus in bono ſenſu dici poſſunt hæc Jeſu Chriſti verba: *Filii hujus ſæculi, prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.*

Non deeſt mundus, ubi ſalutem noſtram operari poſſumus, nec ſecus, ac non deeſt alter, quam abdicare tenemur

Quandoquidem nemini Deus neceſſitatem indixit mundum relinquendi, & religioſam vitam amplectendi, ambigi nequit, quemadmodum non deeſt mundus, cui Chriſtianus quilibet abrenuntiare debet, & qui ſatis cognoſcitur, ſimiliter neceſſario alterum eſſe debere, ubi ſalutem noſtram poſſumus operari obeuntes officia ſtatus illius, quem in hoc mundo obtinemus, in quo nos immorari jubet providentia. Sed prætermittendum non eſt, ibi neminem ſalvari, immo neque ſalvari poſſe, quin fideliter iis perfungatur officiis; quæ proprio ſtatui adhæreſcunt. Unde ſequitur: 1. eum, qui ſtatus ſui deeſt officiis, quidquid alioquin conetur, vocem eſſe a mundi hujus concentu diſcordem, atque neque honeſtum eſſe virum coram mundo, neque coram Deo verum Chriſtianum: 2. ſatis frequenter mira quadam illuſione evenire, ut qui aliis quibuſcumque perfunguntur officiis, iſthæc, quæ magis eſſentialia ſunt, negligere, quin advertant, hac in re omiſſiones facile admitti, illas vix, & ne vix quidem deprehendi, ideoque rariſſime reparari, atque corrigi, quia hujuſmodi peccata nequaquam poſita ſunt in nefariis actionibus, ſed in earum, quæ faciendæ eſſent, negligentia.

Quid intelligitur cum dicitur Chriſtianus a mundo ſeparatus eſſe debere.

Certum eſt, ut aliquis verus Chriſtianus ſit, opus eſſe, ut cor habeat a mundi rebus alienum, illius oderit inſtituta, & effugiat ſcelera; verumtamen non ideo in deſerto vitam ducere cogitur. Quod adeo verum eſt, ut S. Paulus Corinthiis ſcribat, ubi juſſit nullum cum quibuſdam peccatoribus habendum eſſe commercium, ſe nequaquam locutum de Ethnicis; cum enim mundus tunc illis ubique repletus eſſet, opus fuiſſet illinc exire, urbanamque vitam prorſus deſerere, ut nulla cum illis conſuetudo haberetur. Quod autem de gentili mundo Apoſtolus inquit, hodierna die de illis dicere poſſumus, qui in mundo Ethnicorum more vivunt. Licet nobis cum illis vivere, eorum negotia procurare, noſtram illis curam committere, illos videre, cum illis verſari, quantum opus eſt, pro varia neceſſitatum noſtrarum multitudine. Sed in hoc illa ipſa ſervanda eſt regula, quam S. Paulus primis fidelibus præſcripſit, ita videlicet nobis cum illis eſſe conſueſcendum, ut ab illis animo ſeparati ſimus, neque ullam habeamus partem in ſterilibus operibus tenebrarum, videlicet in peccatis: tantumque abeſſe debemus, quod cum illis latam ingrediamur viam, ut eorum mores, ac vitæ rationem morum noſtrorum integritate damnare debeamus. Ex hoc ſapienti Apoſtoli conſilio inferendum eſt: 1. neque neceſſarium, immo neque opportunum eſſe ex noſtro egredi ſtatu, niſi magnis rationibus impellamur, puta, ſalutis noſtræ negotio, ut noſmet communi mundi ſubmittamus ordini, quando ordini Dei non adverſatur: 2. quantacumque neceſſitas ſit, qua cum illis commorari cogimur, qui mundi placita ſequuntur, debere noſmet ab illis animo ſeparare, eorumque vi, aut aſſentationi reſiſtere, ubi illis utantur, ut nos ad peccandum impellant: 3. tanta cura nobiſmetipſis eſſe vigilandum, ut pravorum exemplorum pernicioſos effectus evitemus: 4. numquam obliviſcendum eſſe, quod ſi cum illis permanere cogimur, nulla tamen nos urgemur neceſſitate, ut eorum ſequamur flagitia, quia ſola Chriſtiani neceſſitas eſt ab omni culpa abhorrere.

Quomodo pietas, & virtus eſſe poſſint amabiles.

Etiam atque etiam nobis commendarunt Apoſtoli, ut pietatem mundi ſectatoribus amabilem præberemus, ut illos ad eam ſuavi quadam illecebra pertraheremus. Verum fieri nequit, ut amabilis ſit, ſi auſtera fuerit, aſpera, inurbana, & niſi hominibus palam teſtati fuerimus, illos a nobis in pretio haberi, & diligi, atque id unum optari, quomodo de illis optime mereri poſſimus. Niſi his urbanitatis officiis, quæ ſocietatis vincula ſunt, de illis non benemeremur, ſaltem eorum non avertimus animos, immo illos quibuſdam veluti lenimentis præparamus, ut nos audiant, & benignas conſiliis noſtris aures adhibeant. Viventes igitur in mundo honeſta purificare debemus officia, non illa proſcribere; utque honeſtum virum cum vero Chriſtiano conſociemus, hac arte hominum amorem nobis conciliemus oportet, non ut inde libidini velificemur, ſed ut amor noſter nos in eum ſtatum adducat, ubi illis gratificari poſſimus. His addi poteſt, urbanitatem, atque honeſtatem hanc exteriorem eſſe humilitatem, quæ ſit interior, atque chriſtiana, cum ob ſpirituales cauſas eam exercemus, ut præcepit S. Paulus ad Roman. 12. *Honore invicem pervenientes.*

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

In mundo officia ſtatus ſui cum religionis officiis cõciliari poſſunt.

Liquido patet, mundum corruptum, quatenus eſt tenebrarum imperium, nimis oppoſitum eſſe ſpiritui veritatis, ita ut impia illius placita cum ſancti Evangelii regulis conciliari nullo modo poſſint: cavendum eſt ne eludere velle videamur anathemata, quæ Jeſus Chriſtus juſtiiſime protulit, & conciliare cultum Baal cum Dei Iſrael religione. Verum ſi mundum conſideremus tamquam mortalium ſocietatem variis profeſſionibus operam navantium; vel tamquam congeriem conditionum plus, minuſque nobilium, in quibus homines vel genere, vel induſtria conſtituti mutuis ſeſe juvant auxiliis, ſinguliſque ſtatui ſuo, ſecuritati, commodo, gloriæ, & Patriæ ſtudent felicitati: commercium hoc, hic nexus, hæc reciproca utilitas, quæ mores format, rationem polit, ac alios aliis efficit neceſſarios; proculdubio in ordine naturali maximum opus eſt divinæ ſapientiæ, peculiaris, & glorioſiſſimus humanæ naturæ character. In hoc autem ſenſu error eſt affirmare, evangelica dogmata, & chriſtianæ diſciplinæ puritatem cum ſingularum profeſſionum officiis ſimul eſſe non poſſe. *In collectione orationum oblatarum Academiæ Gallicæ, Anno 1703. Serm. 1.*

In mundo vivere poſſumus, ut veros decet fideles.

Ne cogitemus, verum Chriſtianum quodlibet ſibi vitæ ſolatium interdicere, atque cætus omnes, ubi aliquid ſenſibus conceditur, perhorreſcere: ne putemus illum ſemper, & in qualibet occaſione magnificentiam, & quidquid nitet, refugere. Res eædem, quæ vulgares animas corrumpunt, pro illo puræ ſunt, neque illi nocent, non ſolum quia illas non quærit, verum etiam quia ratio illius per fidem directa ſemper ſuperior eſt. Qua-

Quatenus honeſtus homo nulla in re deeſt, quæ ſocietatem reſpiciat; urbanitatis amator eſt, atque uſibus, qui generatim inoleverunt, ſeſe accommodat; quatenus fidelis ſuos moderatur affectus, Creatorem in creaturis inquirit, ſingulis rebus æquum tribuit pretium, ſibique nobiliorem, quam totus ſimul ſit mundus, finem proponit. Honeſtus homo extrinſecus ſeſe prodit, Chriſtianus vero intrinſecus latet: ille laudibus celebratur, quia ſeſe omnibus accommodat, hic ſeſe humiliat, quia ſemper charitatis ſuæ imperfectionem, ſuæque egeſtatis magnitudinem novit. Hic unus, & idem eſt duplici ſtatu, quorum alter perfecte cum altero conſentit: homo eſt, qui in vita communi nihil agit, quo inter cæteros eluceſcat, ſed homo eſt, in quo Deus, qui intimos animæ noſtræ ſinus ſcrutatur, maxime ſublimes diſpoſitiones intuetur. *Ibidem Serm. 2.*

Perfecta ſimilitudo hominis honeſti, verique Chriſtiani.

Honeſtus homo, etiam ſecundum mundi ſententiam, & perfectus Chriſtianus ita ſibi ſimiles ſunt, ut vix extet, qui utrumque confundit. Quæ enim idea eſt, quæ de honeſto viro in mundo concipitur, hæc ſane congeries eſt qualitatum, quæ Chriſtiano maxima eſſentiales ſunt. Vir honeſtus cor habet bonum, rectaſque intentiones; mens ejus perſpicax eſt, ut bonum dignoſcat, ejuſque voluntas huic ſeſe totam tradit. Senſus illius nobiles ſunt, & elati; juſtitiam potius, quam propriam utilitatem inquirit, ac in neminem, quam in ſe judex eſt magis ſeverus. Si de reipublicæ agitur utilitate, bona ſua publici fiunt theſauri; opera ejus non aliud habent principium, quam animæ magnitudinem, neque finem alium, quam gloriam: obedientia ejus effectus eſt rationi ipſius, non autem ſervilis timoris. Verum hæccine eſt imago honeſti viri, qualis mundo videtur, an veri Chriſtiani? Numquid Jeſu Chriſti doctrina colores eos mihi ſuppeditat, quibus illam exorno? Quæ vitæ, morum, ſenſuumque ſimilitudo inter honeſtum hominem, perfectumque Chriſtianum in hiſce eſſentialibus vitæ circumſtantiis, quæ probitatem, ipſamque religionem conſtituunt? At enim quomodonam ſeveræ chriſtianæ religionis leges conciliari poſſunt cum officioſa urbanitate, quam mundus in honeſto viro requirit, cum hac indulgentia, feſtivitate, morumque ſuavitate? Chriſtianus obire nequit ea omnia munera, quæ placendi arte traduntur. Falleris: charitas in altero facit, quod in altero facit elegantia. Perfectus Chriſtianus facile habet commercium, mores ſuaves, ac in ſe omnium amorem convertit. Inter ſocios dominari non gaudet; ſermo ejus omni acrimonia, & amaritudine vacuus eſt; cor ejus invidiæ motus non novit, neque maligna afficitur ex alienis calamitatibus lætitia, quæ in aliorum facie, ac verbis facile elucet. Fruſtra igitur conaris inſuperabile vallum ſtatuere inter hominem coram mundo honeſtum, & inter verum fidelem: ſatis eſt utrumque videre, ut utrobique pax eadem, idem ſermo, eademque vitæ ratio deprehendatur. Honeſto viro adhuc lineamentum aliquod addamus, & jam erit Chriſtianus: hunc finem in omnibus actibus ſuis fidelis ſibi proponere debet. *Ibidem Serm. 1.*

Sola religio virtutem noſtrã in mundo confirmare poteſt.

Ut vir bonus fiat, opus eſt vi quadam, quæ vehementer in illius ſpiritu, & voluntate agat, atque generoſam animam incipiat efformare. Quodnam autem erit ſecretum hoc actionum omnium principium, quod earum realitatem, atque conſiſtentiam certam valeat efficere? Numquid hominum exiſtimatio? Sed quid parere poteſt hæc adeo vana, & fragilis cauſa; Quid ſolidum, ac utile eſſe poteſt in eo, quod fere ſemper ab hominum libidine pendet, & quod tamquam fumus evaneſcit? Numquid puræ, integræque gloriæ amor? Verum quid eſt gloria iſta? Satiſne pura, atque integra eſt? An potius cupiditas eſt minus patens, ac magis delicata? Quid ergo in virtute cor hominis poterit confirmare? Nihil profecto, niſi religio, quæ una robur, ac vim præbere poteſt virtutibus ejus; hæc una poteſt conſilia noſtra dirigere per charactere veritatis, qui eam comitatur; poteſt affectus noſtros cohibere per ea ſupplicia, quæ nobis minitatur; noſtram excitare poteſt ignaviam per magnitudinem pretii, quod nobis proponit. *Idem.*

Quocumque in ſtatu ſalvari poſſumus.

Fatendum eſt, in variis mundi conditionibus magnos ad ſalutem obices inveniri, avertat enim Deus, quod latam facere velim arctam evangelii viam. Virtutis ſemitæ aſperæ ſemper ſunt, atque in quocumque ſtatu tribulis conſitæ. Quis enim ſine labore ſeipſum ſalvare poſſe contendat? Nihilne cœlum meretur; mundus vero, ut omnia pro ipſo fiant, mereatur? Itaque cum dicimus in mundo ſalvari homines poſſe, nequaquam affirmandi animus eſt, minori labore ibi, quam in ſtatu religionis ſalvari, neque jucundius eſſe pro mundo, quam pro Deo, & propria ſalute operari. Ipſa oppoſitum docet experientia, ſi quis enim locupletare, ſi quis principium virorum gratiam aucupari contendit, qua vigilantia, qua cura, qua ſollicitudine opus eſt? Quot competitores ſuperandi, quot mala evitanda, quot moleſtiæ ferendæ ſunt? Numquid ergo bonorum omnium maximum, & unum, quod beatos efficere poſſit, ſine labore acquirendum eſt, cum interim leviſſima etiam hujus vitæ mortalis commoda, & quæ brevi ſunt duratura, nonniſi magna conſtantia, cura, labore comparentur? Verum igitur eſt, poſſe homines in mundo ſalvari; ſed verum quoque eſt ibi nonniſi cum labore ſalvari poſſe. *Idem.*

Tot ſanctorũ exemplis probat, homines in mũdo poſſe ſalvari.

Mente repetamus magnorum virorum, qui nos præceſſerunt, vivendi rationem; evolvamus acta, ubi Heroum fidelium, quos nobis tamquam prototypos religio proponit, vita narratur. Elapſa relegamus ſæcula, & conſideremus illam Sanctorum utriuſque ſexus, omnis ætatis omniſque conditionis multitudinem: & ex nobiſmetipſis quæramus, cur in eodem currentes ſtadio, in quo illi concurrerunt, eoſdem obtinentes gradus, eademque obeuntes officia nequeamus noſmet in ſæculo ſanctificare, quemadmodum illi ſeipſos ſanctificaverunt? *Ibidem.*

Mundi pompas, luxumque contemnere, non eſt donum ita cœnobitis, & ſolitariis proprium, ut in fulgidiſſimis quoque conditionibus inveniri non poſſint exempla. In aula ipſa, quæ ut ita dicam, mundanæ vanitatis centrum eſt, ubi hæc mundi figura nitidius micat, atque exhibet objecta, quæ majorem habent vim ad animos ſeducendos, excitandoſque affectus, David, Eſther, S. Ludovicus ſeſe ad æternitatis cogitationes attollere, ſecretum cum Deo commercium inire, illi in corde ſuo aram ponere potuerunt, ubi ſolus regnabat, ubi in ſpiritu, & veritate adorabatur; ubi, quamvis fallaces mundi ideæ, & validiores terrenarum voluptatum illecebræ adverſarentur, ratio ſemper audiebatur, atque omnipotentis Dei lex ſervabatur. *Idem.*

Honeſti hominis Chriſtiani character.

Ut extrema ducam lineamenta ejus prototypi, quem honeſtus homo ſibi proponere debet; Chriſtianus homo eſt abſolutum in omnes animæ ſuæ motus imperium exercens. Modeſtus eſt in proſperis, conſtans in adverſis, promiſſi religioſus obſervator, in familiaritatibus ſincerus, affabilis in colloquiis, publicæ utilitatis amator, principi fidelis, integerrimus, nullis humanis rationibus actus; benignus ſine ſuperbia, pius ſine hypocryſi; ſibi ſemper conſtans, ac erratis ſuis corrigendis paratus; officioſus erga omnes, tantæque bonitatis, ut aliorum quidem felicitatem conſtituere, aliorum autem laboribus ſolatium poſſit afferre. *Idem.*

Non omnium conditionum mortales cũ mundo commercium tenentur abrũpere.

Si de rebus juxta regulam generalem feratur judicium extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, æternum cum mundo divortium tutiſſimum eſſe ad ſalutem ſtatum. Hoc animam attollit ad Deum ſublimiori modo; hanc illi arctioribus nodis conjungit; illam, ut ita dicam, a ſenſibilibus objectis expedit; affectiones ejus emundat, eamque in ſuperiori regione conſtituit, ubi neque turba, neque tumultus tranquillitatem illius valeant perturbare. Hinc divinus ſponſus ait, ſe illam in ſolitudinem deducturum, ubi corde ad cor cum eadem loquatur. Ex his tamen principiis nequaquam inferendum eſt, ab omnibus ſæculum eſſe relinquendum, ut ſuam tueantur innocentiam; hoc perfectionis conſilium eſt, non neceſſitatis. *Idem Serm. 3.*

Character Chriſtiani Deo fidelis in mundo.

Conſideremus Chriſtianum officii ſui regulis ſemper inhærentem inter ipſam ſæculi corruptionem, ſequamur hunc Chriſtianum mundi ſemper maxime neceſſariis ſuis officiis vacantem; illi non ſatis erit effugere ſtatus ſui vitia, verum conabitur etiam omnes illius virtutes acquirere, probe tenens, teporem in relaxationem, relaxationem vero in vitium adducere. Labore aſſiduo omnes ſuperabit obices, qui in via perfectionis occurrunt; cumque ejus pericula perpetua ſint, aſſidua quoque illius erit vigilantia, ut de illis triumphum reportet. Ita Chriſtianus hic Dei gratia adjutus in mundo ipſo fidelis erit Deo, quin externa ejus negotia ipſum ab officio dimoveant, quin vanis ambitionis, opumque ideis intumeſcat, quin pravis exemplis in vitium trahatur; mala quippe ab homine, non autem ab illius ſtatu, & conditione proficiſcuntur. Quin perfunctoriis, quæ poſſidet, bonis inhæreat, & obliviſcatur æternorum, quæ illi religio promittit, non quærit in honoribus, vel divitiis ſuis cauſas, quas ſuæ relaxationi prætexat: immo in proſpero rerum ſuarum curſu virtutis occaſiones nanciſcitur, quæ illum per grati animi ſenſum adducunt ad Deum, eumque cogunt ſemper ſervare Deo fidem, quamvis nihil intentatum relinquatur, ut ille a Dei ſervitute deflectat. *Ibid. Serm. 4.*

In mũdo ſancte vita duci poteſt.

Omnes fere virtutes in mundo æque ac in obſcuriſſimis receſſibus poſſunt exerceri; poſſumus enim inter mor-

mortales verſari, quin in corruptionis, vitiorumque ipſorum partem accedamus, noſmet per gratiam ſupra naturam attollentes, vitæ communis legem ſequentes, cum ad ſublimiorem vitæ rationem nequaquam vocamur. Verum quidem eſt, Scripturam deplorare illorum infelicitatem, qui latam ingrediuntur viam; ſed illos ſimul hortatur, ut in anguſtam viam ſe recipiant. Publicum exercere magiſtratum, eminentem poſſidere dignitatem, exercitui præeſſe, malum non eſt; ſed malum eſt, cum his abuteris honoribus, ut ambitioni, & cupiditati tuæ ſatisfacias, cumque creſcis miſerorum ſumptibus, qui ſub injuſtæ poteſtatis pondere conteruntur. *Idem Serm. 4.*

Satisfacere poſſumus religionis ſimul, & urbanitatis officiis.

Quin mundi, hominumque commercium deſerere teneamur, pietatem fovere poſſumus nulli ſæculi tentationibus labefactandam, vitæ civilis officia cum officiis conſcientiæ conciliare, ad Deum per fidem noſmet attollere, proximo per charitatem nos communicare, ac ſi in aliquem lapſi fuerimus errorem, per pœnitentiam nos expiare. Poſſumus etiam in intimo cordis ſinu quemdam nobis ſeceſſum efficere, ut ab ea mentis evagatione, quam negotiorum impedimenta gignunt, liberemur. Si earum animarum, quæ hujuſmodi privilegiis fruuntur, numerus tantus non eſt; inveniuntur etiam Chriſtiani, qui in mundo vivunt, quin mundi ſpiritum ſequantur, & qui jugiter concupiſcentiæ motum compeſcunt. *Idem.*

Qui religione expertes ſunt negotiis agendis pares non ſunt.

Negotiis, atque urbanæ vitæ officiis obeundis mortales impares facit fama, quod religione careant. Quis enim cum impio converſari vellet? Quæ familiaritas haberi poteſt cum illo, qui abnormis, & exlex eſt, inverecundus, & qui conſcientiæ ſtimulis nequaquam afficitur, qui credit, virtutem utilem eſſe, quatenus divitiis voluptatibuſque acquirendis prodeſt; qui eadem lance bonum, & malum appendit; qui minas pœnarum, & promiſſa præmiorum pro altera vita chimeras putat ad homines in officio continendos adinventas, & cui perſuaſum eſt, juſtum ſimul, ac impium in horrore ſepulchri quamprimum ad nihilum eſſe redigendos. *Idem.*

Vera virtus eſt ſtatus, & conditionis ſuæ officiis perfungi.

Vera virtus cogitationes, conſilia, motus, & actiones noſtras intra ſtatus noſtri fines, & cancellos coarctat. Ex actionum noſtrarum œconomia aufert, quidquid ab ordine recedit, atque in omnibus actionibus noſtris nos veluti ſub Dei continet manu. Hæc facit, ut beatam verſus æternitatem feramur, in via, quam nobis ſtravit providentia, quin ad dexteram, vel ad ſiniſtram flectamus, hoc eſt ex Divi Auguſtini ſententia, quin ad ſuperbiam, vel ad ignaviam pedem torqueamus. Viventes, agentes, hoc pacto vitam inſtituentes, meritorum theſauros congerimus; occupationes noſtræ ſeu magnæ, ſeu exiguæ, communes, vel extra ordinem inſtitutæ, inſignes, vel obſcuræ; actiones, quæ maxime ſimplices ſunt, communes, familiares, abjectæ, atque in oculis hominum contemptibiles, in oculis Dei meritum, & pulchritudinem habent, quæ miſericordiæ ejus obtutus in nos convertit. *Auctor Anonymus, & recens.*

De honeſti viri qualitate.

Hæc honeſti viri qualitas abſolutiſſimum elogium eſt, ac titulus, qui illis omnibus præſtat, quos nobilitas, atque opes conferre poſſunt. Sed ad illam promerendam virtutes omnes in excellenti gradu ſunt poſſidendæ; quoniam vera probitas perfectam ſupponit integritatem, rectitudinem inflexibilem, generoſitatem ſine faſtu, & cum ea modeſtia, quæ in iis omnibus, quæcumque dicuntur, & fiunt, mirum in modum elucet. Honeſtus homo ſervat omnia ſui ſtatus officia, quin recedat a charactere ſuo, & regulis, quas ſua illi conditio præſcribit; de juſtitiæ via non magis, quam Sol de ſtadio ſuo poteſt deturbari. *Idem.*

Quod mundi neſcimus officia, repellimur, & nullũ referimus fructum.

Officiorum ſuorum ignorantia in illis, qui mundi commercium minime norunt, cauſa eſt omnium inurbanitatum, aſperarum, inofficioſarumque vivendi rationum, quibus ultro citroque ſeipſos laceſſunt, ac malorum officiorum, quæ alternis ſibi præſtant. Qui procul a mundo vivunt; in verbis, actibuſque ſuis gerunt ſemper neſcio quid aſperitatis, & ruſticitatis, quæ ſolitariam redolet vitam, quam ducunt, & rudem terrenarum rerum inſcitiam; & niſi virtus, & ſanctitas illis reverentiam concilient, videmus illos, a mundo contemni, & nullum ex eo fructum percipi poſſe. *Idem.*

Nulla ſine religione honeſtas.

Sibi perſuadere debet nemo, rationem ſatis ab omni malo immunem eſſe, ita ut ſola cordis ſenſus regere valeat, & ſine ſupernaturali auxilio optimam vitæ rationem queat inſtituere. Ex quo mortalis per inobedientiam receſſit ab ordine, in quo fuerat conſtitutus, omnes illius greſſus fallaces ſunt, & periculoſi, ac in ſingula momenta ceſpitare videtur, niſi inviſibili manu regatur. Dicamus ergo, neminem, qui religione careat, honeſtum eſſe hominem poſſe: hinc exordium ſumendum eſt. Quo enim pacto, ſi infideles ſumus Deo, cui ſervire, & quem venerari toto cœlo magis intereſt noſtra; niſi nihil nobis fuerit antiquius, quam ſumma officii fide illius ſervare præcepta: quo inquam pacto ad id animum appellere poſſumus, ut ſincere cum hominibus agamus, atque hoc nobis honeſtatis principium proponamus, ne ulla in re, quam illis debemus, deficere intelligamur? *Liber cui titulus: Officia urbanæ vitæ.*

Arctum vinculum quo honeſtus homo, & Chriſtianus conjunguntur.

In plerorumque mortalium ſpiritu nihil adeo diverſum videtur, quam honeſtum eſſe hominem coram mundo, & verum eſſe Chriſtianum coram Deo, Deique religionem tueri. Primo quidem intuitu diceres, inter hæc duo nihil eſſe commune: probitas ſecundum mundum naturæ opus eſt, ac rationis; natura illam in corde, ac animo imprimit; ratio vero fovet, ac perficit. Sed Religio non aliud habet principium, quam Deum. Probitas, qualem mundus concipit, ad naturalia dumtaxat fertur officia, & quamdam tantummodo naturalem ſpectat felicitatem, quam inter homines ſtatuit, quæ ſæpe illorum improbitate turbatur, & quæ eumdem cum illis finem eſt habitura. Religio vero e contra ſupernaturalia officia poſcit, atque pro fine habet ſupernaturalem felicitatem nullum umquam finem inventuram. Fatendum eſt tamen, has adeo arctis contineri vinculis, ut fieri minime poſſit, quod ſeorſim ſubſiſtant. Neceſſe eſt religionem habere, ut probitas habeatur; neceſſe eſt habere probitatem, ut habeatur religio. *Idem.*

Quam regulam, quod fundamentum habere poſſemus ad probitatem noſtram fulciendam, niſi ipſi religioni inniteretur? Religionem conſiderare debemus tamquam catenam, quæ nos cum Deo conjungit. Quomodo autem fieri poſſet, ut cum Deo conjungeremur, niſi prius invicem eſſemus conjuncti; quandoquidem conjunctio cum Deo ſupponit conjunctionem cum hominibus, & hæc illa omnia continet officia, quæ a nobis illi depoſcunt? Hac de cauſa cum dicitur, nobis uni Deo ſerviendum eſſe, unumque illum colendum, ex hoc præcepto debemus omnia civilis ſocietatis officia comprehendere; neque enim eum ſervare poſſumus ordinem, quem poſtulat Deus erga ſe, quin illum quoque ſervemus, quem debemus hominibus; quandoquidem officia quælibet, quæ illis debemus, pendent a primo illo officio, quod cum Deo nos conjungit, atque ſunt veluti totidem vincula cohærentia magnæ illi catenæ, quæ nos omnes illi connectit. *Idem.*

Charitas erga proximum complectitur civilis ſocietatis officia.

Cum Dominus adeo frequenter nos admonet, ut viciſſim diligamus; cum tanta cura nobis pacem, & concordiam commendat, quam ultro citroque fovere nos jubet; cum præcipit, ut mutuo opem indigentibus, mœrentibuſque ſolatium feramus, & æquius ſemper de alienis defectibus feramus judicium; infirmitates, quas in aliis cognoſcimus, tegamus, nemini obtrectemus, illis ſerviamus, qui nos oderunt, nobiſque obeſſe contendunt; nonne hoc eſt honeſtum eſſe hominem in mundo, ſimulque charitatem, & religionem habere? *Idem Auctor libri de vita civilis officiis.*

Religio, & lex chriſtiana approbat, non damnat vitæ civilis officia.

Neque putes, ad hoc ut in mundo vivas, neceſſe eſſe, ſuam ſalutem contemnere. Religio ſocietatem non deſtruit: e contra ſi amicos habemus, iiſque adhæremus, & probat, & laudat; neque deſunt occaſiones, in quibus petitur, ut vitam quoque ipſam in periculum adducamus noſtram erga illos benevolentiam teſtaturi. Hæc ultra ipſos etiam amicos ſe extendit; præcipit, ut omnes homines amore complectamur, utque alios inviſamus; hæc denique adeo parum ſocietati adverſatur, ut permittat etiam per intervalla horas aliquot innocentibus impendi voluptatibus; neque damnat convivia, & honeſta inter amicos ſolatia; hæc quippe adminicula ſunt roborandi conſenſum, qui inter nos eſt, atque ſocietatem fovendi. Sed inde ſibi perſuadent homines mundum cum religione conciliari non poſſe, neque alterutri adhærere aliquem poſſe, quin lædat alterutrum; quia civilis ſocietatis officia non obſervantur? *Idem.*

Qui præ cæteris ſanctitate præſtant, hi maxime norunt civilis vitæ officia cum pietate conjungere.

Qui prope norunt, quidquid ſolidum, magnumque in religione eſt, hi præ cæteris religionem cum mundo conciliare norunt. In mundo quidem videntur vitæ rationem ſequi facilem, honeſtam, non aſperam, & æque ſuavem, ac irreprehenſibilem: nihil enim illis antiquius eſt, quam ne cuiquam diſplicent. In religione vero videntur humiles, bene morati, ſibi tantum ſeveri, aliis indulgentes in iis, quæ ipſorum non adverſantur officiis; ſed etiam magis prudentes, & verecundi in iis, quæ illis, quos ſequuntur, moribus adverſantur. Ita qui mundum & religionem conciliare norunt, a mundi hujus placitis abſcindunt, quidquid vitioſum, corruptumque in illis inveniunt, atque in religione retinentes, quidquid ſolidum eſt, omnino rejiciunt, quidquid plerique in ea ſimulatum præſeferunt, & quod religionis exiſtimationem potius in plurimorum animis lædit, quam zelum

zelum augeat, & reverentiam. In religione quidem eam morum certiſſime diſciplinam amplectuntur, quæ a præceptis Jeſu Chriſti abnormis non eſt; in mundo vero eos mores ſequuntur, qui nulla ex parte repugnant evangelio: ita ut tota eorum vivendi ratio certum præſeferat probitatis, juſtitiæ, & pacis characterem, qui ſeſe in omnes eorum actiones effundit, quin aliquid videatur vel ipſis nimis grave, vel aliis nimis auſterum. *Idem.*

De mundi ſcientia.

Cum de mundi ſcientia ſermo eſt, nomen hoc æquivocum eſt, & duos habet ſenſus. Alterum quidem malum, ac damnandum, de quo ſuo loco dicemus; alterum vero, qui mundi ſcientiam ſignificat, quæ ſocietatis regit officia, ac docet quomodo illis eleganter, & cum omnium oblectatione perfungamur. Qui hanc poſſidet ſcientiam, novit, quid ſummis debeat, quid imis, quid paribus. Erga ſummos ſeſe præbet obſequentem, ſed ſine ſordibus, blandum, ſed ſine aſſentationibus, indulgentem, ſed ſine affectatione; eorum favore utitur, quin familiaritate abutatur; illis adhæret, quin ſe mancipet ipſis, ſe eorum ſervituti devovet, quin eorum ſe devoveat cupiditati. Modeſtus erga imos; ſcit locum tenere generis, & dignitatis ſuæ, illis benefaciens potius, quam imperitans. Solers cum paribus colit amicitiam, & novit optimæ neceſſitudinis officia ſermonis, & conſuetudinis elegantia condire. *P. Aurelianenſis ſermone de educatione filiorum.*

Ut ſalutem in mundo operemur; ſatis eſt obeamus, noſtri ſtatus officia.

Ne putetis ad hoc, ut ſalvemur, Deum a nobis magnas exigere ſeveritates, & ea, quæ vires noſtras excedunt. Veſtrum quilibet intra ſtatus ſui cancellos facile ſalutem ſuam poteſt invenire. Officia, quæ vobis obeunda ſunt, munera, quibus perfungi debetis, ſufficiunt, ut in via ſanctorum ambuletis. Negotia, cura familiarum, filiorum educatio, bonus ordo, quem domi ſervatis, ut pacem tueamini, inopinata adverſitas, quæ omnia evertit conſilia, ſatis amplas vobis occaſiones ſuppeditant Deum quidem glorificandi, & voſmetipſos ſanctificandi. Sed quia hæc omnia gentili ſpiritu facimus, hoc eſt, quin conſilio placendi Deo illa animemus; & alioquin corruptæ naturæ noſtræ ſequimur ſtudium, ac trahi ſinimus exempli, & corruptionis torrente, hæc cauſa eſt, propter quam noſtram ſalutem in mundo difficile operantur. *Sermo mannſi.*

Sanctitas a mundi officiis non abhorret.

Hic noſtræ religionis eſt honor, Jeſu Chriſti ſervos multifariam efficere. Nihilominus verum eſt, chriſtianam virtutem in ſemet inſpectam nequaquam eo procedere, ut officiorum partem proſcribat, quæ ad commercium fovendum maxime conferunt. Statibus ſingulis proprias leges præſcribit; mortales omnes per divinorum præceptorum obſervantiam, per terrenarum rerum contemptum, per bellum cupiditatibus inductum ad ſalutem adducit. Verum enim vero cum nequaquam omnes obliget fideles, ut in ſolitudine vivant, atque inter eas exercitationes, quibus homines a ſæculo penitus remoti ſeſe abdiderunt, non prohibet quoque illa officia, quæ bonæ inſtitutionis ratio ſuadet, & urbanitas, morumque elegantia requirit. Affectata mundities, delicata, magnifica, exempli gratia, Jeſu Chriſti diſcipulum minus deceret, & læderet humilitatem, atque modeſtiam, quam profitetur; verum indene ſequitur, illi incompto, ſordidoque prodeundum eſſe? Nullo modo. Hic eſſe poſſet vel inordinatæ libidinis, vel avaritiæ turpis effectus. Honeſti homines ſancti eſſe & poſſunt, & debent. Fortaſſe triſtis, auſteraque ſanctitas non ſemper ædificabit; verum ſanctitas nonne ſemper ædificare debet? *Non affectatæ ſordes, nec exquiſitæ munditiæ conveniunt* Chriſtiano, S. Hieron. Ep. 22. inquit. *Liber cui titulus: Animadverſiones in varia religionis, Ethicæque argumenta.*

In mundo ſancti fieri poſſumus.

At enim, quomodonam ſanctitas chriſtiana cum mundi officiis conciliari poteſt? quomodo ſancti eſſe poſſumus, & in quibuſdam mundi ſtatibus vivere? Quomodo? Mirum ſane eſt, hoc a vobis adhuc ignorari; cum id ſcire veſtra plurimi interſit; atque ſummum nefas eſt, hoc vos fugere, quos rem hanc totis vitæ diebus oportuit meditari. Hoc igitur docendi eſtis. Putatis ſtatum veſtrum aliquam cum ſanctitate habere oppoſitionem, vel etiam cum illa ſimul omnino eſſe non poſſe. Error. Si hoc eſſet, id, quod ſtatum dicitis veſtrum, vobis crimen eſſet; ac ſine alia ratione ſtatim abdicandum eſſet, & deſerendum. Sed quandoquidem hic ſtatus eſt veſter, hic ſtatus eſt, in quo vos Deus collocavit, providentiam ejus læditis, & ſapientiæ illius injuriam infertis, illum tamquam veſtræ ſanctificationis obicem reſpicientes. Nullus in mundo ſtatus eſt, qui non ſit, & eſſe non debeat ſtatus ſanctitatis. *P. Gireuſt in Adventu.*

In omnibus cōditionibus, & vitæ ſtatibus ſanctificari poſſumus.

Spiritu cœlum ingredimini; ibique videbitis ſanctos qui in mundo eoſdem obtinuere gradus, in quibus vos eſtis; quibus eadem negotia tranſigenda, eademque obeunda fuerunt officia, & qui non ſolum ibi ſanctitatem adepti ſunt, ſed qui, quod a vobis diligentiſſime animadverti cupio, ſtatu ſuo uſi ſunt ad ſanctitatem indipiſcendam. Omnes prædeſtinatorum ordines luſtrate; quoſdam invenietis, qui principibus famulati ſunt, & qui numquam principibus ſuis melius operam præſtiterunt, quam cum religioni, Deoque adhæſerunt. Invenietis quoſdam ſago claros; ſanctitas enim tantum abeſt, quod virtutem molliat, ut militum fortitudinem, atque ſtrenuos animos augeat. Invenietis, qui rempublicam aggreſſi ſunt, non ſecus ac vos; quorum ſanctitatem niſi imitamini, ne ſuccenſeatis mihi dicenti illos præ vobis dignius, atque integrius munere ſuo fuiſſe perfunctos. Invenietis, quos ſola probitas in regum aulis commendavit, & qui ad honorum gradus pervenerunt, quin ad mundanæ politicæ verſutias, & fraudes confugerent, & qui exiſtimationem, & favorem, quo fruebantur ſuæ tantum virtuti, ac probitati debebant. Denique eos invenietis, qui id fuerunt, quod eſtis, & qui præterea ſunt ſancti. *Idem ſermone de ſanctitate.*

In officiis noſtris obeundis vera ſanctitas ſita eſt.

Sancti ideo ſancti fuerunt, quia ſua obierunt officia, & muneribus ſuis perfuncti ſunt, quia ſancti erant; quæ duo ſunt, quorum nexus præſefert characterem rationis, & veritatis, quæ ſeſe prodit. Sancti, quia ſua obierunt officia; quia videlicet noverunt perfecte conditionem ſuam cum religione conciliare; ſed ita tamen ut religio ſemper norma fuerit conditionis eorum; conditio vero numquam religionis inſtitutis prævaluerit, Sancti, quia unicuique id, quod debebant, tribuerunt, honorem, cui honor debebatur, vectigal, cui vectigal, obedientiam, quibus voluit illos ſubeſſe Deus, affabilitatem illis, cum quibus ſocietatem ſervare debebant, opem, quibus opitulari, curam illis, de quibus rationem erant redditeri; omnibus juſtitiam, & charitatem; hanc quippe univerſis debemus. Sancti, quia moribus ſuis effecerunt, ut majori in honore haberentur miniſteria, quibus præerant, dignitates, quibus nitebant, gradus, in quibus a Deo fuerant conſtituti. *Idem.*

In mundo vivere poſſumus vitam Chriſtiano dignam.

Utile eſt, ſed non omnino neceſſarium ad hoc, ut dignam Chriſtiano vitam ducamus, atque ſalutem noſtram operemur, vel in deſerta ſecedere, vel inter cœnobiorum clauſtra confugere. Quemadmodum Iſraelitæ inter Ægyptios vixere, quin Ægyptiorum idolis thus adolerent, in mundo vivere poſſumus, quin mundani ſimus. In hoc Dei providentia æque amabilis, & adorabilis eſt, quod in quolibet ſtatu, & conditione tot nobis ſanctitatis exempla præbuerit, quot opus erat, ut myſtica hæc conſtitueretur varietas, quæ eccleſiæ Jeſu Chriſti ſponſæ, ut Propheta inquit, ſpectatiſſimum eſt ornamentum. Ideo oblectatus videtur Deus præſtantiſſimos ſanctitate viros efformans illis etiam in ſtatibus, ubi ſanctitati plures ſuperandæ videntur difficultates; nobiſque proponens in foliis etiam humilitatis prodigia, inter delitias auſteritatis, inter temporalium curarum impedimenta, ac tumultum vigilantiæ, atque recollectionis; & denique non ſine prædeſtinationis ſecreto, quod ſatis admirari non poſſumus, noluit vel unam in mundo mortalium eſſe profeſſionem, earum videlicet, quæ per leges licent, boniſque moribus non adverſantur, quæ in cœlo ſanctos non haberet, qui ab eccleſia quoque veluti ſancti & haberentur, & colerentur. *Idem.*

Errat, qui putat nos in mundo ſalvari non poſſe.

Næ ille vehementer errat, qui putat, inter eas conditiones, & ſtatus, quos providentia pro ſocietate conſtituit, aliquos eſſe, quorum officia cum officiis Chriſtiani ſimul eſſe non poſſint. Hæc eorum illuſio eſt, qui neque Chriſtiani, neque honeſti viri munera agnoſcunt, & qui duplex ſibi comminiſcuntur phantaſma eorum, quæ & chriſtiana religio ab altero, ab altero vero mundus exponit. Tantum abeſt, quod Chriſtianiſmus ab honeſto viro exigat aliquid profeſſioni ejus oppoſitum, ut abſolutum officiorum cujuslibet in gradu ſuo complementum ſemper primum illud ſit, quod unicuique verus præcipit Chriſtianiſmus. Ita poſtquam nobis perſuaſum fuerit, inane eſſe phantaſma, quidquid a nobis chriſtianam religionem exigere arbitramur, perſuadeamus quoque nobiſmetipſis, nos ſaltem æque falſam concipere eorum ideam, quæ mundus requirit. Hoc unum ex vobis quæro, quis gratiam vobis habet propter ea, quæ facitis, ut mundo placeatis, utque vos illi morem geratis? Laudatne mundus ſumptus veſtros inſanos? approbatne mundus immodicam aleam, & ludum? Numquid commerciis veſtris hanc in mundo nominis gloriam comparaſtis? Mundus ita cæcus non eſt, ut probet eos ſumptus, qui familiam veſtram, evertunt. *P. Aurelianenſis Sermone Omnium Sanctorum.*

In mundo vivere poſſumus, quin mundi placita ſequamur.

Deus & mundus oppoſitas habent ſententias; & avertat Deus, quod eas ſimul conciliare adnitamini. Verum ſcitote, quin illas concilietis, poſſe vos honeſtam ducere vitam, & præclaram nominis exiſtimationem in mun-

[illegible]lo mereri; ſcitote poſſe vos, quod plurimi fecerunt, mundi conſuetudines improbare, & nihilominus mundi approbationem mereri, mundi flagitia damnare, & mundi benevolentiam acquirere, mundum in contemptum adducere, ac illius reverentiam vobis conciliare. Tantum abeſt, quod pietas omnes mundi conſuetudines damnet, ut earum quaſdam illa e contra adoptet, ac inſtar ſolidorum officiorum ſervandas eſſe contendat; videlicet mundi honeſtatem, mundi affabilitatem, mundi dexteritatem; quæ ſane qualitates ſunt, ſine quibus cum hominibus nulla ratione vivere valeamus; non autem mundi verſutiam, non duplicitatem, non affectionem, quibus profecto utitur mundus, ſed quæ generatim a mundo utente damnantur. Quod ſi vera devotio laudabiles mundi conſuetudines non damnat, neque mundus veræ devotionis improbat exercitationes. *Idem.*

Non ſequitur, quod quicumque coram mundo honeſtus eſt, hic verus ſit Chriſtianus.

Quamvis honeſtus homo ex mundi ſententia, & verus Chriſtianus ſimul eſſe poſſit, putandum tamen non eſt, illos invicem ſeparari non poſſe: non enim deſunt illi, qui quamvis ab omnibus paſſim probentur, & laudibus excipiantur, proprie tamen Chriſtiani nomen mereri non debent, quia cor eorum evangelii præcepta non ſequitur. Hi quidem gravibus nequaquam ſceleribus, illis ſaltem, quæ extrinſecus apparent, mancipati ſunt. Philoſophi ſunt, quos ætas, & ratio regit, quamvis probitatis eorum chriſtiana virtus non ſit. Sunt ambitioſi, qui per vanitatem evitant, quidquid fortunæ ipſorum poſſet officere, & quemadmodum impietas vulgo non probatur, bonorum, non ſecus ac aliorum hominum amorem ſibi captivant. Jugiter perſonam gerunt, nihilque injucundum, vel inofficioſum proferunt. Similes ſunt Areopagitis, qui non faciunt ea, quæ S. Paulus ſuadet, at ſuadentem nihilominus audiunt: *Audiemus te de hoc iterum. Auctor Anonymus.*

Vanæ eorum excuſationes qui chriſtiano more ſe in mundo vivere non poſſe putant.

Fruſtra noſtræ certi deſidiæ cauſam rejicimus in difficultatem chriſtianam ducendi vitam in mundo adeo corrupto, ſine ulla religione ſinentes nos abripi hoc iniquitatis torrente, quo omnes fere mortales trahuntur; ac prætexentes nobis ſatis virium non eſſe, ut illius vi reſiſtamus. Si enim diligentius nobiſmetipſis invigilaverimus, non parentum vitia, non mala educatio, non locus, ubi vivimus, neque rationes omnes, quas paſſim ad noſmet excuſandos afferimus, nobis nocere poterunt. Abraham patrem habebat impium, & idolorum cultorem, ſed impietatis ejus hæres non fuit. Ezechias filius erat nequiſſimi Regis Achaz, quod tamen non prohibuit, quominus Dei fieret amicus. Moyſes in Ægypto vixit, ac tot Sancti in omnibus terrarum plagis extiterunt, quin virtus eorum umquam defecerit, eo quod inter ſceleratos vivebant. Futilis ergo hæc eſt excuſatio, & a Deo non recipienda, prætexere, non poſſe nos bonos eſſe, & a ſæculi corruptione immunes, aſſidue viventes, & conſueſcentes cum illis, qui mundi errores ſequuntur, neque aliam habent vitæ, morumque ſuorum normam. *Abbas de Monmorel, Homil. pro 7. poſt. Pentecoſt. Dom.*

Viventes in mundo ſeparati debemus a mundo corrupto.

Mundum inter, ac vos mediam ſtatuere debetis ſeparationem, ut dicere poſſitis, etiamſi in mundo verſamini, de mundo tamen non eſſe. Conditionis veſtræ ſtatus in mundo vos retinet, & veſtræ conditionis ſtatus a mundo ſeparare vos debet. Nobiles eſtis, potentes, & filios habetis, quorum inſtitutioni conſulendum eſt: hæ rationes vos in mundo permanere jubent ut familiæ veſtræ ſtatum, & decus tueamini: verum alia vobis præſtantior nobilitas eſt, quod eſtis Chriſtiani: hæc eſt conſideratio, quæ debet efficere, ut mundo abrenuncietis, ne infringatis pactum, quod in baptiſmo coram cœlo, ac terra percuſſiſtis mundo, & vanitatibus ejus nuncium mittentes. *Eiroat, Sermone pro 3. Quadrag. Domin.*

Quid intelligatur pro ſeparatione a mundo, ad quam Chriſtianus tenetur.

Si ſtatus veſter vos cogit, ut inter homines verſemini; eſto, in mundi commercium ingredimini; ſed ab illorum conſuetudine abſtinere debetis qui, mundi malos mores ſequuntur, ne eorum ſpiritum induamini, neque vivendi rationem ſequamini: hoc illud eſt, quod pro ſeparatione a mundo, quam in baptiſmo publice profeſſi ſumus, intelligendum eſt: *Non utique tranſire in Ægyptum crimineſum eſt, ſed tranſire in mores Ægyptiorum*, S. Ambroſius ait. In Ægypto commoratus eſt Moyſes, ibi vero non periit, quia ab Ægyptiorum abſtinuit conſortio, ac ſe illorum exemplis corrumpi paſſus non eſt. Populum ſuum de Ægypti ſervitute liberavit, quin Ægypti vitia, & ſcelera ſequeretur. *P. Novet parte 5. Meditationum.*

Qui mundo vivunt evangelica præcepta ſervare tenentur.

Non extrema dæmonis ars ad eos corrumpendos, quos ipſorum conditio in mundo vivere cogit, fallax eſt perſuaſio, qua ſibi blandiuntur rati, evangelii præcepta ab illis tantum ſervanda eſſe, qui religionis ſtatum amplexi ſunt, vel qui in ſolitudine ſe receperunt (qui enim, inquiunt illi, publicos gerunt magiſtratus, vel rei familiaris, ac temporalium negotiorum curis impediti ſunt, quibus indeſinenter occupantur, quomodonam, uti oportet, Deo vacare poſſunt?) curam vero providendi filiis ſuis pro generis, & conditionis eorum dignitate, neceſſitates eſſe, quæ illos a plurimis diſpenſant officiis, quæ alii obire tenentur; ideoque ſibi futurum perſuadent, ut peccata, quæ hoc in ſtatu commiſerint, ſibi minime imputentur. O cæcam illuſionem! quaſi homines, qui propter conjugium, vel quamlibet aliam ob cauſam in mundo vivunt, minime tenerentur chriſtianam vitam ſecundum evangelicas leges ducere, & quaſi verum eſſet, vel per latam incedentes viam ſalvari poſſe, vel anguſtam viam pro religioſis tantummodo, & ſolitudinum cultoribus eſſe! *Ex morali in Pater.*

Qui in mundo ſunt, vivere debent, ut Chriſtianos decet.

Ex vobis quæro; eo quod de mundo eſtis, numquid minus eſtis Chriſtiani? aliam habetis ſpem, patriam aliam, aliamque gloriam, ad quam contendatis, ab illa diverſam, ad quam eremi cultores anhelant? Numquid pro vobis aliud eſt baptiſma, alia fides, alia præcepta, alia eccleſia, alia religio? De mundo eſtis; verum numquid ideo minus eſtis filii Dei, membra Jeſu Chriſti crucifixi, hoſpites in hac terra, & ad æternam felicitatem deſtinati? Ullumne ex eſſentialibus Chriſtianæ religionis officiis omitti poteſt? Aliamne ſeorſim Jeſus Chriſtus habet eccleſiam pro iis, qui in mundo, & aliam pro illis, qui in ſolitudine vivunt? Verum quæſo, vos, qui tantum diſcriminis intercedere arbitramini inter mundi, & regularis vitæ munera, dicite, quænam fuerit mens ſanctorum inſtitutorum, qui zelo, & optimo virtutum ſuarum odore, in ſolitudine congregarunt religioſos homines, eoſque adeo ſeveræ diſciplinæ ſubjecerunt? Numquid novas irrogare volebant leges, vel Jeſu Chriſti præceptis novos rigores adjicere? Audite illos. Homines illi, quibus dignus non erat mundus, dicent, donec fideles in publicis cætibus, tamquam in medio corruptæ naturæ verſabantur; atque ipſi etiam Ethnici morum eorumdem ſanctitatem venerabantur, inutile futurum fuiſſe in eremos concedere; hactenus illi ſolertiſſime ſuis perfungebantur officiis, & via, quam illi ſequebantur, ducebat ad vitam. Sed poſtquam mundus factus infidelis, corruptionem, & fallaces ſententias ſuas in eccleſiam invexit; tunc ſancti illi viri videntes communem vitam nequaquam eſſe chriſtianam, contra mundi corruptionem perfugium in ſolitudine quæſiverunt, hac tantummodo mente, ut evangelii ſeveritatem revocarent adeo neglectam ab hominibus, atque diſcipulis ſuis exercendas proponerent auſteras chriſtianæ religionis regulas, ab omnibus fidelibus non minus, quam ab ipſis ſervandas. *Sermo manuſ. Abbatis Boileau.*

Quid inde inferendum, niſi quod cum eadem habeatis ad ſalutem indipiſcendam auxilia, ac homines penitus a mundo ſeparati, eamdem quoque vos habere neceſſitatem vivendi, uti Chriſtianos decet; & quin omnia conſiliorum adimpleatis genera, vobis tamen ſervanda eſſe præcepta; quin omnia relinquatis bona, pauperes tamen corde vos eſſe oportere inter ipſas divitias, non ſecus ac illi, qui in ſumma vivunt inopia; quin debeatis integram, perfectamque exercere mortificationem inter voluptates, atque ſolatia, ibi tamen modum ſervandum eſſe in evangelio præſcriptum; quin adeo perfecte voſmet colligatis, ſervetiſque ſilentium, uti inter clauſtra, vobis tamen ſtatuendum eſſe oſtium circumſtantiæ labiis veſtris, ne aliquod elabatur indecens, obſcœnum, pravumque verbum; quin æternum Domino laudes recinatis, vobis tamen per intervalla preces eſſe effundendas; quin ciliciis, ferreiſque catenis carnem conſtringatis, vobis tamen crucem veſtram ferendam eſſe, ac ſcelerum veſtrorum pœnitentiam agendam; quin, ut illi, pannoſis induamini operimentis, ſimplici tamen, modeſtaque veſte utendum eſſe; quin ut illi intra horrentis ſolitudinis clauſtra voſmet contineatis, vobis tamen in mundo vivendum eſſe, quaſi ibi non viveretis; & demum quin vobis, ut illi, quidquid licitum eſt, interdicatis, ea ſaltem, quæ crimine vacua non ſunt, vobis eſſe interdicenda. *Idem.*

Egregiæ qualitates ſimul eſſe cum omnibus vitiis æque ac cum omnibus virtutibus poſſunt, & quid inde inferendum.

Qui noverit noxios affectus ſuos diſſimulare, qui clanculum ſua ſcelera patraverit, ſi de hoc loquimur, quin ad evangelium, fidemque animum advertamus, hic haberi poteſt honeſtus homo, ubi in illo nobiles ſenſus, urbani, feſtivique mores eluceant; verum niſi integram, puramque ſceleris conſcientiam habuerit, hic vere Chriſtianus non erit. Philoſophus ſuperbus eſſe poteſt, quin nominis honorem amittat: honeſtus homo exi-

xiſtimationem ſuam tueri poteſt, quin ſuffocet invidiam ultionem, alioſve affectuum ſuorum motus inordinatos. Hoc ipſum dicendum de ſtatibus, qui eximias qualitates requirunt. Poterit magiſtratus aliquis ſumma cum prudentia, & inviolabili integritate juſtitiam adminiſtrare, & nihilominus alere commercia quædam, quæ illum coram Deo ſontem efficiat. Idem de aliis conditionibus dictum puta. Sed Chriſtianus eſſe nequit niſi Chriſtianus; & ſi ille omnibus ſeſe conditionibus accommodat, non ſequitur inde, omnes conditiones nexum habere a Chriſtiano inſeparabilem. *Animadverſiones in varia religionis, Ethicaque argumenta.*

In mundo quiſque ſalutem ſuam operari debet.

Quid ſibi vult peccator, cum ſe mundi hominem dicit, neque ſe teneri religioſorum more vitam ducere; niſi, ſe vivere in mundo damnato, ſe habitare in terra cives ſuos devorante, ſe per ſummum infortunium natum eſſe eo in ſitu, qui illum a juſtitiæ Sole procul arcet, & qui efficit, ut vix ſalutem ſuam valeat operari? Hæc veſtra eſt excuſatio, mundi ſectatores, ubi vobiſcum de converſione verba facimus; ſed ideo attentiores voſmet præbere debetis voci Domini vocantis. Si in eremo, ſi inter clauſtra vitam duceretis, longe plura haberetis ad ſalutem obtinendam auxilia, quam in mundo, minuſque ope divina indigeretis; attamen hanc prætexitis cauſam negligentiæ ſalutis veſtræ, quia eſtis de mundo: fingi ne poteſt magis inepta ratio argumentandi? *Sermo, qui Patris Maſſillon eſſe perhibetur, de Samaritana.*

De mundo eſtis, dicitis: heu! hoc fortaſſe veſtrum crimen eſt, atque veluti excuſationem affertis! Patria veſtra in cœlo eſt; & adhuc permanere vultis in terra? Cives eſtis ſanctorum, atque medii in corruptione vultis immorari! Chriſtianus cœlo deſtinatus, quocumque in ſtatu, cujuſcumque profeſſionis ille ſit, propter cœlum dumtaxat vivere debet. Corpus ejus ſequi debet motus animæ illius, & cor ejus eſſe debet, ubi ipſius ſpiritus eſt. In mundo eſt, ſed pro mundo vivere non debet. Ne dicatis, quod olim D. Chryſoſtomo dicebatur: Ut ergo ſalvemur, inter clauſtra confugiendum eſt. Quid? Numquid ſui ipſius abnegatio, injuriarum venia, temperantia, modeſtia, humilitas, terrenarum rerum comtemptus, cænobitarum tantummodo virtutes ſunt? Si qui vivit in mundo, ab illis ſe diſpenſatum putat, dicendum eſt, viventes in mundo Chriſtiani qualitatem abdicare. *Idem.*

Deus jubens proximi amorem vitæ civilis probat officia.

Dum Deus ſe jubet amari, ſimulque præcipit, ut proximus etiam diligatur, tantum abeſt, quod ullum urbanæ vitæ excludat officium, ut omnia etiam amplectatur; tantum abeſt, quod deſtruat illa, ut illis fulcrum, & inconcuſſum tribuat fundamentum. Etenim vi hujus legis, propter quam Deo ſervio, unicuique reddo, quod ſuum eſt, honorem, cui debetur, ſubſidium ei, qui eodem indiget, juſtitiam omnibus: fidelis ſum regi, modeſtus erga æquales, ad obſequium compoſitus erga ſummos, humanus erga imos, largus erga pauperes, & in ſingulorum juribus ſervandis ſollicitus. Quare? Quia hæc omnia officia continentur eo in præcepto, quo proximum amare jubeor, illa pendere mihi videntur ab officiis, quæ Deo ipſi debeo, & obedientia, quam præſtare mandatis ejuſdem cogor, efficit, ut me hiſce omnibus officiis ſubjiciam. Hæc illa præſtantiſſima ratio eſt, qua Tertullianus olim utebatur, ut ex Ethnicorum animis deleret pravos conceptus, quos de Chriſtianis imbiberant, qui ab illis tamquam legibus omnibus rebelles, ac reipublicæ pernicioſi traducebantur. Tantum abeſt, ajebat quod noſtra religio aliquid ſocietatis officiis obſit, ut illa ad hæc obeunda nos maxime impellat; hoc enim non extremum eſt religionis noſtræ axioma, ſubditi eſtote poteſtatibus, ac nemini de vobis conquerendi occaſionem præbete. *P. Bourdalove in Sermonibus ſub illius nomine editis. Sermone pro prima Quadrageſ. Domin.*

Sine religione nulla eſſe poteſt in mundo vera juſtitia, vel probitas.

At enim, citra quamcumque religionem, non deſunt homines juſti, ſinceri, liberales, quibus benigna natura largita eſt, quidquid honeſtum hominem poteſt efficere. Novi equidem hunc eſſe prætextum, quo procaces homines uti ſolent ad quamdam decori ſpeciem ſervandam: ſed prætextus eſt omnium ſæculorum experientia confutatus. Quæro enim ex vobis, ſi nulla eſſet religio, ubinam inveniretur homo, qui zelo ſuccenſus æquiſſime aliis jus diceret? Avarus, ambitioſus, ultor, auri, vel gloriæ cupidus, nonne ſi nullum eſſe Deum ſciret, nullis umquam finibus cupiditates ſuas circumſcriberet, atque illis ſatisfacturus fanda, infandaque omnia auderet? Seipſum tamquam ſuum extremum finem reſpiceret; omnia ad ſeipſum referret; ipſe ſuum eſſet numen; ſibique fratrum ſuorum honore, bonis, & vita litaret. Quomodo autem hiſce nefariis imbutus opinionibus honeſte vivere poſſet? Cum alicui religio deeſt, hic ultro in omnia flagitiorum genera præceps ruit; nullam erga æquales bonam adhibet fidem, nullum erga inferiores modum, nullamque erga ſuperiores reverentiam; adeoque omnibus urbanæ ſocietatis officiis deeſt ille, cui deeſt religio. *Id.*

Honeſti hominis, verique Chriſtiani officia oppoſita non ſunt.

Vehementer errat, qui arbitratur evangelium, urbanamque vitam, honeſti hominis coram mundo officia, & illa veri Chriſtiani coram Deo eſſe oppoſita, & utraque ſimul adimpleri non poſſe. Quantæ igitur neceſſitatis eſt hac in re hominem juſtificare, atque errorem hunc, qui vulgo inolevit, auferre; duo hæc permiſcentur, ſejungere, ac oſtendere poſſe aliquem ſervire Deo, ſi ſimul eſſe, & vivere in mundo, non autem ſecundum ſpiritum mundi. Scio equidem, rem periculoſæ plenam aleæ videri poſſe duo hæc ſimul officia conciliare, ſed corruptis tantum mentibus, & iis, quibus prava intentio eſt; & fortaſſe non deerunt iſthic, qui me nimiæ redarguent indulgentiæ, ac ſpiritus relaxationis bonis moribus nimium funeſtæ, quippe ubi affirmare auſim, in mundo etiam ſalvari homines poſſe. Sed ubinam eſſemus, ſi ibi nequaquam ſalvari poſſemus? Alios vero fortaſſe immodica efferet lætitia hæc, quam affero, propoſitio, ſperantes fore ut hæc illis ſoporem inducere in ipſorum valeat flagitiis; ſed nimis fidelis ſum veritati, ita ut nihil valeam diſſimulare. *Ex hujus argumenti Sermone.*

Veri Chriſtiani character, & quid inde falſo poſſet inferri

Quid eſt verus Chriſtianus? Homo eſt in mundo, a mundo tamen ſeparatus, & cum Jeſu Chriſto conjunctus: homo eſt, S. Paulus ait, conſepultus Jeſu Chriſto in morte per baptiſmum; homo eſt univerſam beatitudinem ſuam in paupertate, humilitate, & patientia, infelicitatem vero in ſuberbia, gaudio, & voluptatibus conſtituens; hæ quippe ſunt beatitudines, & maledictiones a Jeſu Chriſto propoſitæ. Verum ecce quomodo fallaci ratiocinatione illis mortales abutantur. Verus Chriſtianus homo eſt a mundo ſeparatus; debet ergo omnibus abrenuntiare officiis, conſuetudinibus, commerciis, ac rebus omnibus, quæ civilem inter homines alere poſſunt ſocietatem. Falſa concluſio. Verus Chriſtianus Deo conjunctus eſt, ergo unice Dei ſervitio vacare debet, temporalia deſerens negotia orationi operam dumtaxat daturus: numquid hoc præſcribit evangelium, & S. Paulus expoſcit? Homo eſt, qui amat paupertatem; opus eſt igitur illum non affici bonorum ſuorum jactura, omne injuſtitiæ genus libenter perferre, ac ſine querela pati, ſi de poſſeſſionibus ſuis deturbatur? Homo eſt, qui diligit humilitatem; oportet ergo nullam ab ipſo rationem haberi, quid ſuam conditionem, quid familiam, quid amicos ſuos deceat? Denique homo crucifixus eſt, & mortuus mundo; numquam inde arguendum, illi omnem ignorandam eſſe urbanitatem, omnemque civilium officiorum æquitatem. Hujus caracteris homo eſſene poterit homo honeſtus coram mundo? Haud ita ſane. Erit ille verus Chriſtianus? Multo minus. Etenim ad vitam hoc pacto traducendam, omnibus carendum eſſet honoribus, bonis, conſanguineis, domeſtici; & omnes illæ qualitates eum tantummodo decent, qui inter nemora, & ſylvas ſeceſſit, non qui in mundo verſatur. *Ex Sermone qui Patris de la Rue perhibetur.*

Virtutes omnes non eodem modo exercentur ab omnibus.

Chriſtianos omnes patientes eſſe oportet; ſed principis patientia ſimilis eſſe non debet patientiæ ſubditi; neque eo uſque proferenda eſt, ut regni poteſtas, & imperium infirmetur. Chriſtianos omnes humiles eſſe oportet; ſed heri humilitas ſimilis eſſe non debet humilitati ſervorum, neque conciliare illi debet contemptum eorum, qui eidem obſequium debent, & reverentiam. Chriſtianos omnes mortificationem amare decet, ſed non æque eos, qui in mundo ſunt, ac illos, qui ſeſe inter clauſtra receperunt. Chriſtiani omnes ſubmiſſi eſſe debent, ſed ejus ſubmiſſio, quem penes eſt ſuæ voluntatis arbitrium, alia eſſe debet ab eo, qui ſuæ non eſt dominus voluntatis: idque ſecundum ſpiritum S. Pauli. Hortor vos, inquit, ut ambuletis in omni paupertate, & humilitate, in omni amore, & charitate mutua, idque eo modo, qui veſtram deceat vocationem, ac ſtatum, in quo vos Deus ipſe conſtituit. *Idem Pater de la Rue.*

Sæpe videntur principes, & ſummi viri vere chriſtianam vitam ducere in ipſa mundi luce.

Viſi ſunt reges crucem cum diademate conciliare, ſancteque in ſolio vivere; viſi ſunt Sancti viri Tertulliani ſenſus damnare, qui feroci auſteritate præventus, quæ mox funeſta extitit cauſa errorum ſuorum, aſſerebat injuſtum eſſe, quod rex fieret Chriſtianus, & Chriſtianus fieret rex. Sed cum omni ſeveritate ſua fallitur; neque operoſum eſt veros oſtendere Chriſtianos in poſſeſſione honorum, bonorum, magiſtratuum, & voluptatum legitimarum in mundo commercio, & ſocietate. Hæc igitur oppoſitio ex Chriſtianorum parte non oritur. *Idem.*

Quid ſit honeſtus homo coram mundo.

Quid eſt homo ſecundum mundi ſententiam honeſtus? Ille

Ille eſt, qui honorifice in fortunæ ſuæ gradu ſtare novit; qui bene ſuo fungitur munere, qui ſumptus ſuæ conditioni pares facit; qui ſuis favet amicis ; qui in religionis actibus ſollicitus, ac fidelis eſt, qui modeſte loquitur de laudibus ſuis, ſincerus in negotiis, ſuavis cum amicis, commodus in ſocietatibus, præſertim vero ab omni avaritiæ, pertinaciæ, levitatis, ac infidelitatis labe immunis. Hæc quippe præter propter ſunt vitia, quæ maxime opponuntur homini honeſto, & virtutes, quæ præ cæteris ad illum efformandum aliquid conferunt. Omnes iſtæ qualitates vero Chriſtiano oppoſitæ nequaquam ſunt. Licet in homine honeſto hæc duo tantum requireretis, ſinceritatem, & generoſitatem; hæc mihi ſatis eſſent, ſuperque ad refellenda, atque damnanda vitia, de quibus mundi ſectatores, impios, ac protervos homines intelligo, gloriantur, ſed quæ ipſi etiam in aliis damnant, atque in corde ſuo vituperant, & quæ homines cordati pati non poſſunt. *Id.*

Sine probitate, & virtute nullus honeſtus homo eſt.

Diſcite igitur, Chriſtiani, nullum honeſtum eſſe hominem, niſi qui veram habet probitatem, integramque ſinceritatem, & ut verbo me expediam, nullum eſſe honeſtum, niſi qui totus eſt, videlicet in oculis Dei æque ac in oculis mundi. Hujus autem characteris homo non ſolum religioni contrarius non eſt, ſed illius fulcrum eſt, & fundamentum. Vitæ ipſius ratio exemplo eſſe poteſt illis, qui idem vitæ genus amplexi ſunt; exemplum ejus omnes vitioſos, improboſque mortales confundit, & palam oſtendit nullam eſſentialem inveniri oppoſitionem inter veri ſecundum Deum Chriſtiani, & honeſti ſecundum mundum hominis officia. Ita palam conſtat, utriuſque officia in uno eodemque homine ſimul poſſe inveniri. *Idem.*

In nullo ſtatu ſalvari poſſumus, quin nobiſmet vim inferamus.

At enim quam ægre Chriſtianus in mundo frugi eſſe poteſt, ac bonus! Quam difficile, & Deo, & hominibus placere, atque ſuæ profeſſionis officia cum religione conciliare, ita ut neutris deſit! Difficile quidem eſt: ſed quandoquidem ſtatum hunc elegiſtis, & ad illum vos providentia accerſivit, neque vobis deſunt gratiæ ad illius munera obeunda; quæcumque ibi difficultas adſit, veſtrum eſt illam ſuperare, omneſque humanos reſpectus negligere. Verum ſi hoc difficile eſt, numquid exiſtimatis vos ſalvari poſſe; quin vobiſmetipſis vim inferatis? Ubinam ergo illa crux eſt, quam in mundo non ſecus, ac in religioſo ſtatu ferre debetis? Hæc ſane eſt; vim hanc ferre. Dura quidem vobis crux iſta videtur; ſed ſi illam comparare volueritis cum ea, quam Deus tot Eccleſiaſticis, ac tot mortificatis cœnobitis imponit, næ ipſi fatebimini veſtram levem eſſe, atque ſuavem; quæ enim veſtram inter, & illorum crucem inſtitui comparatio poteſt? Veſtra abſcondita eſt; Deus unus illam videbit; Deus unus teſtis erit; o vos beatos, qui tantulo impendio cœlum adipiſci poteſtis; beatos, qui in terra ſimul, & in cœlo beati eſſe poteſtis! Verum ſi his ſalutaribus monitis uti abnueritis, ſcitote extrema die nullam pro vobis excuſationem futuram. Doletis ob hanc ſalutis veſtræ difficultatem, quid vultis facere, ut Deus illam vobis præbeat faciliorem? Nonne difficilius eſſet ſalutem veſtram inter paupertatis ſqualorem, & curam operari? Noluit Deus vos ad hanc miſeriam redigere; at ne vos quidem vultis ullam vobis vim facere eo in ſtatu, in quo vos collocavit. *Idem. ex parte.*

Cur plerique fideles ſalutem ſuam non operantur in mundo permanentes.

Ideo plerique fideles profeſſionis ſuæ muneribus non perfunguntur, neque ſeipſos eo in ſtatu ſanctificant, in quo illos providentia conſtituit, quia non ſolum corruptum mundum non fugiunt, verum etiam ſeſe eodem magis implicare geſtiunt, & conantur, quam Deus illis permittat. Hac mente redimunt magiſtratus, honores ambiunt; quin illud cogitent utrum vocati a Deo fuerint, iiſque præditi ſint facultatibus, quæ neceſſariæ ſunt ad munus illud rite obeundum; quin aliquem conſulant niſi qui iiſdem blandiuntur, & gratificantur. Malo huic non aliud remedium eſt, quam relinquere, ſi fieri poteſt, ſtatum, quem Dei injuſſu aggreſſus es, tunc potiſſimum cum ibi lapſus occaſiones non deſunt. Si enim malum eſt ſeſe hoc pacto implicare, longe deterius eſt ibi ultro perſiſtere; & niſi temet objicere cupis in pereundi diſcrimen, unica ratio malum reparandi eſt inde egredi, atque ſtatim emergere. Quod nihilominus intelligendum non eſt de ſtatibus quibuſdam, qui ſunt cum labore conjuncti, atque permixti, ubi a neceſſitate pœnitentiam agendi nequaquam diſſentiunt. *De Sancta Martha tomo 2. I. tractatu de Mundi fuga.*

Quid faciendum illis, qui in periculoſa conditione impliciti ſunt, quam tamen nequeunt relinquere.

Quod ſpectat ad illos, qui in periculoſa conditione ita impliciti ſunt, ut ſeſe inde expedire nullo pacto poſſint, hi ſibi nequaquam perſuadere debent, omnino fieri non poſſe, ut ibi ſalutem ſuam operentur, & ut veros decet fideles vitam ibi ſuam tranſigant. Gemendum illis eſt eo quod temporalem tantummodo utilitatem ſuam conſulentes ſeſe huic ſtatui implicuerunt; orandusque Deus, ut ipſos tanto magis ab illis tentationibus liberet, quod cum fuga illas evitare nullo modo poſſint, ad gravem eam redacti ſunt neceſſitatem aut illas vincendi, aut vincendi miſerrime ab illis. Occaſionem quoque habent ſperandi futurum, ut Deus eorum miſereatur, ſi ad miſericordiam illius promerendam nihil reliquum fecerint. *Idem.*

Sæculares non minus quam cœnobitæ fugere tenentur quidquid in mundo periculoſum eſt.

Mundi ſectatores ſciunt quidem, religioſis, qui in receſſu, ſolitudine, & mortificatione vivere profitentur, fugiendum eſſe mundum, videlicet occupationes, ſocietates, & ſolatia, quæ ſæculi hujus homines propria eſſe arbitrantur: verum non animadvertunt, ſibi licet ſæcularibus, nihil magis, quam religioſis licere mundo ſeſe implicare præter negotiorum ſuorum neceſſitatem; & ſi velint ſalutem ſuam operari, quod procuIdubio poſſunt, evitanda ſibi eſſe ſolatia, pompas, & id genus alia, quorum participes eſſe non poſſunt, quin Deum lædant. Opus quidem eſt illos verſari cum iis, qui ejuſdem ſunt profeſſionis, & ſæpe etiam cum aliis, ut ſuis perfungantur officiis; & commercium hoc illis æque licitum eſt, ac neceſſarium; verum non licet illis ſeſe mundi flagitiis immiſcere, & illius ſequi placita, vel conſuetudines, quæ magnos ſumptus requirunt, veluti magnam ſervorum familiam alendi, vel quæ cauſa ſunt jacturæ multi temporis in meliores uſus inſumendi, vel quæ efficiunt, ut ſtatus ſui, & religionis negligantur officia. *Id.*

Quid faciendum illis qui neceſſario terrenis impliciti ſunt negotiis, ut in mundo chriſtianam ducant vitam.

Non deſunt, qui, licet inviti, in mundo permanere coguntur, vel inevitabili neceſſitate, velut uxores, quarum viri propter munus, ac dignitatem ſuam ibi verſari tenentur, vel ſua conditione, quæ illos laboribus manuum ſuarum victum comparare cogit, ut familiæ ſuæ neceſſitatibus conſulant. Hi, ſi chriſtianam ducere velint vitam in ipſo mundo, arctam quærere debent viam, extra quam nulla ſalus eſt, & ſperare fore ut Dei ope illam inveniant, dummodo iis rebus doleant, quibus alii gaudent; atque vanitates, ac pompas oculis fidei inſpicientes illas contemnant, perhorreſcant, abominentur. Oportet illos in mundi ipſius luce verſari, ac ſi eſſent ſolitarii; quod præſtabunt, cum aliter vivent, ac mundi ſectatores, aliaſque habebunt exercitationes, & conſilia eorum conſiliis prorſus oppoſita. Quod ſi laboribus vacant, dum alii otiantur, ſi affectus ſuos coercent, ſi tempus impendunt orantes, audientes Deum, & cum eo colloquentes, dum alii inutilibus alloquiis, vel obtrectationibus tempus inſumunt: denique ſi nihil prætermittunt, ut ſæculi flagitia evitent; Deus, qui omnipotens eſt, illos ſuis illuſtrabit luminibus in miſerrima hac hujus Ægypti caligine, illi ſanctificabuntur, ibique ſuam ſervabunt innocentiam. *Idem.*

Ad chriſtianam in mundo vitam ducendam non ſatis eſt bona fovere deſideria.

Mundus repletus eſt mortalibus optima foventibus deſideria, & pauci ſunt in ſceleribus ita indurati, qui non teſtentur aliquando ſe chriſtianam vitam ducere velle; verum ſi cum his deſideriis in molli, & laxa permanent vita, quin inde conentur egredi, indicium eſt, hæc deſideria ex ipſo corde minime profecta eſſe, neque bonos affectus producere poſſe. Sed cum Deus per miſericordiam ſuam vera inſpirat vota recentis vitæ ducendæ, numquam ceſſat, quominus eadem exequendi præbeat auxilia. Cum his autem deſideriis in iis manere occaſionibus, quæ ſaluti pernicioſæ, vel periculoſæ ſunt, vel ſemper differre vitæ melioris initium; hoc ſane non eſt velle ſincere ſalvari, ſed oſtendere, quod ex corde ſalus iſta non deſideratur. *Id.*

Pietas, & vera virtus nos ſuper homines, cujuſcumque illi gradus ſint, evehit. Hinc fit, quod in mundo viros bonos ſincere omnes colunt; cum e contra peccatoribus ægre, & ab invitis honos adhibeatur. Illi abſentes licet laudibus celebrantur; hi vero, ubi non ſunt, probris proſcinduntur. Præterquamquod honores iidem bonis viris ampliores ſunt; ſunt quippe fructus meriti eorum; in aliis vero magis magiſque manifeſta eorum vitia faciunt, atque in apricum proferunt dolos, artes, vim, injuſtitiam, verſutias, per quas illos conſecuti ſunt. Ita dici nequaquam poteſt, quod in mundo honoribus cumulari, ſemper ſit chriſtianæ oppoſitum humilitati; & dummodo in virtutis exercitatione nequaquam ſpectetur honos, qui illam concomitatur, hoc nequaquam efficiet, ut coram Deo jacturam faciamus meriti, vel præmii, quod in cœlo expectandum eſt. *P. de la Colombiere in Chriſtianis Conſiderationibus.*

Virtus in mundo bonis reverentiam conciliat.

Fieri igitur nequaquam poteſt, ut qui terrenis impediti ſunt negotiis, Deo ſerviant? Haud ita; dummodo in mundo verſantes rebus mundi hujus utantur ſine ulla affectione, eaſque nullo in diſcrimine habeant, quaſi non uterentur; dummodo illæ tamquam præſentis miſeriæ ſolatia aſſumantur, quibus utendum, non fruendum eſt, & quæ ingentia etiam mala fiunt illis, qui abutuntur iiſdem obliti verborum Apoſtoli dicentis, quod præterit figura hujus mundi. Si enim alio modo uterentur, jam in ſtatu perditionis eſſent, & quantumvis tutiſſima videretur via, quam ſequuntur, ut ad Deum perveniant, illam lubricam, & caliginoſam experirentur. *Via illorum tenebræ, & lubricum.* Pſ. 34. *Sermones Chriſtiani, pro quarta Dominica poſt Paſcha.*

Deſcriptio viri boni, vereque Chriſtiani in mundo.

Vir bonus, vereque Chriſtianus in mundo, homo eſt ſciens vitæ civilis officia cum officiis conſcientiæ conciliare, commercium, & urbanitatem bono eorum uſu ſanctificans, temporibus, & conſuetudinibus ratione duce prudenter ſe accommodans, honeſtas colens amicitias, eaſque ſemper redigens ad charitatem, quæ earum præceptum eſt, & ad eorum, qui amantur, utilitatem, quæ illarum finis eſſe debet. Hic numquam in exceſſum aliquem videtur erumpere: Deo interiorem, perfectumque, ſed rationabilem & prudentem adhibet cultum juxta Apoſtoli conſilium. Quantumvis humiliter de ſeipſo ſentiat, numquam dignitati ſuæ negat externum aliquem oris habitum, quem uſus videtur exigere, cum in eo nihil ordini contrarium eſt. In cœtibus hilarem, modeſtamque virtutem adfert, quæ omnes viros bonos allicit, vel quæ ſaltem illos ædificat; atque in tota vitæ illius ratione deprehenditur ſimplicitas ſine adfectatione, ſine ſimulatione prudentia, devotio ſine faſtu, converſatio, in qua & ſpiritus ſuavitas, & vitæ puritas eluceſcunt. Regularem, & uniformem ſervat pietatis praxin, & demum utitur mundo, quaſi non uteretur, cum illa ſobrietate, quam fidelibus omnibus commendat Apoſtolus. Eadem facit, ac alii, ſed longe aliter; & charitate minimas etiam vitæ ipſius actiones dirigente, nihil facit, quod inſolitum ſit; quod ipſum inſolitum eſt in homine, qui ſolidis virtutibus ornatus eſt. *Ex deſcriptione, quam edidit Flechier de S. Franceſco Saleſio.*

Hodierna quoque die plurimi in mundo ſunt, qui civilis ſocietatis & religionis adimplent officia.

Hodierna quoque die per miſericordiam Dei non pauci ſunt, qui chriſtianam vitam vivunt, qui Dei ſervant mandata, & qui nulli deſunt officio; quos ſi ignoratis, non miror, quandoquidem ſe ſolum eſſe putabat Elias, cum dixit illi Deus: *Derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal.* Hoc exemplum nobis perſuadere debet hodie quoque non deeſſe, qui in mundo a mundi corruptione vivunt immunes, & primos fideles imitantur. Vos autem, fratres, ſi nondum ad hunc perfectionis apicem perveniſtis, incipite ſaltem contendere, ut eo perveniatis: quidquid ibi mali eſt, ne imitemini; reſiſtite torrenti exempli, neque bona congerere niſi labore, legitimaque cura, ſtudeatis. Videmus, S. Joannem Baptiſtam primum quidem publicanis, & militibus etiam atque etiam commendaſſe, ut ſuis contenti eſſent ſtipendiis. Ulterius quidem zelus illius progredi voluiſſet, & illos ad altiorem perfectionis gradum evehere: ſed cum nondum his pares eſſent conſiliis, ſatis putat hoc illis primum proponere monitum, veritus, ne ſi majora illis traderet, hi neque ad ulteriora ſeſe attollere, neque primum hoc, cui magis erant idonei, poſſent obſervare. Ita in mundo varii ſunt virtutum gradus, non ſecus, ac inter eos, qui in religioſo ſtatu ſeſe Dei ſervitio devovent; quidam tyrones ſunt, alii provectiores, alii tandem conſummatæ virtutis. *Deſumptum partim ex S. Chryſoſtomo Homilia in cap. 6. Matthæi.*

Inutilis plurimorum querela credentium ſe in ſtatu ſuo ſalvari non poſſe.

Nihil in mundo frequentius eſt quam hæc querela, homines ea, in qua ſunt profeſſione, vix poſſe ſalutem ſuam operari. Ex altera enim parte divites de ſe dictum ſingillatim arbitrantes, quod generatim dumtaxat dixit Jeſus Chriſtus, vivunt, vel tamquam nihil ſibi faciendum eſſet, vel quaſi omnia ſibi eſſent ſorti committenda, rati ſe nullo modo ſalutem conſequi poſſe. Ex altera vero pauperes ſuas reſpiciunt miſerias tamquam tot obices ſaluti ſuæ, & invidentes felicitati eorum, qui opibus diffluunt, putant ſe curas omnes ſaluti ſuæ impenſuros fore, niſi egeſtatis pondere opprimerentur. Illi de nimia negotiorum farragine, alii de gravi magiſtratuum ſuorum exercitatione, vel de multiplici rei familiaris cura conqueruntur. Hi aſſidua negotiorum ſuorum impedimenta prætexunt; illi quaſdam animi pœnas, & amaras agitationes cauſantur, quæ illis mentem auferunt, ac neceſſariam tranquillitatem, ut toti Deo vacent. Prætextus inanes: tantum abeſt, quod ſtatus, ad quem vocati ſumus, ſit obex ſaluti, vel perfectioni chriſtianæ, ut in eo e contra præſens inveniatur auxilium. Officiorum noſtrorum cura vera via eſt ſalutem operandi, & aſſequendi perfectionem, quam Deus a nobis requirit. *Ex morali Dictionario tomo 5. Serm. I. de ſalute.*

Viri boni in mundo ab impiis etiam amantur, & coluntur.

Vos non latet, Fideles, nequiſſimos etiam homines facere non poſſe, quin viros bonos ament: quo magis vitio dediti ſunt, eo magis admirari videntur in aliis virtutem, qua excellunt, & veluti d[illegible] reſpiciunt eam qualitatem, quæ aliis ſaum aliquod quod ſibi nullo modo ſuperandum videtur præbet, Joſeph gratiam invenit apud regem Ægypti, Daniel [illegible] Balthaſſar, & Herodes in S. Joanne eam ipſam ad[illegible] ratus eſt licentiam, qua ab eodem corripiebatur. Cum e contra qui opibus abundant, qui ampliſſimas in terris obtinent dignitates, niſi virtutibus ornati fuerint, nullo pacto evitare poſſunt odium, contemptum, & præſertim obtrectationem. Si palam honos illis adhibetur, cor mentitur omnia reverentiæ & obſequii ſigna, quæ conditioni eorum præbentur; gravate, & ab invitis coram laudantur, & quiſque voluptati ſibi vertit illos exprobrare, e contra illorum flagitia invehi. Certum eſt, neminem vel plures habere amicos, vel inimicos pauciores, quam virum bonum; quilibet ſocietatis ejus in partem accedere cupit, ſcit enim illam ſinceram, conſtantemque futuram, ab illo optima tantum, & ab omni cupiditate aliena expectari poſſe conſilia: tutiſſime poſſe cor proprium in corde illorum effundi, eique maximi momenti arcana committi, citra ullum proditionis timorem. Ad hæc viri boni neminem lædunt, diſſimulant, illatas injurias oblivioni tradunt; & prudenti, atque chriſtiana hac vivendi ratione prævertunt inſignes illas, immortaleſque inimicitias, propter quas familiæ abſumuntur, & corruunt; nec non ea diſſidia, quæ vitam amaritudinibus replent, quæ nos quotidie novis mœroribus angunt, & quæ tantum & negotiis, & nomini noſtro afferunt detrimentum. Hinc ſequitur, quod qui præ cæteris virtute præditi ſunt, hi melius urbanæ vitæ perfungantur officiis. Ita quibuſnam (amabo vos) libentius negotia, & maximi momenti res committuntur, quam illis, quos æquiſſime, & integerrime munere ſuo perfuncturos cognoſcimus; qui officium ſuum inviolabilem putant legem, a qua nullum umquam otium, nulla unquam libido illos avertere poterit? *P. de la Colombiere tomo 2. Sermone vigeſimotertio.*

Quandonam ſatis nobis eſſe debet proximo præſtare urbanitatis officia.

Cum nulla, aut levis adeſt ſpes futurum, ut gratiam apud illos inveniamus, quibus nullis vinculis adſtricti ſumus, & commercium, quod cum iiſdem inire poſſumus, nobis obfuturum metuimus, licet non aliud inde ſubituri detrimentum eſſemus, quam temporis in illo impendendi; ſatis eſſe debet cum illis inevitabilia exercere urbanitatis officia, quæ citra ſcandalum negari non poſſent; ea vero omnia relinquenda ſunt, per quæ illis gratificari, atque peculiarem cum ipſis neceſſitudinem conſociare poſſemus. Verum ſi communem ducimus vitam, ſi ex neceſſitate varios cum mundo nexus ſervamus, ſi integra ſolitudo non eſt utilis nobis, ſi nos ipſi humano indigemus ſolatio, ſi quas, non invito Deo, cum pluribus ſocietates contraximus, a quibus recedere utile non ſit, multo utilius videtur non prætermittere occaſiones amorem ſuum illis teſtandi, atque eorum ſibi conciliandi amorem certando urbanitatis officiis. Id unum quærendum eſt, quod urbanitas noſtra ab aliorum vulgo officioſitate differat, quod vera, ſinceraque ſit, non autem levis, & ad aſſentationem compoſita, quod non ſeſe in verba, & laudes affundat, quod non bonam temporibus partem abſumat, quod non ſit quædam nugarum inutilium ſpecies, quod pietatem inſpiret, ac modeſtiam redoleat. *Specimen moralis tom. 2. tract. de Chriſt. urbanitate.*

Vanæ eorum excuſationes, qui ſe dicunt in mundo ſervire Deo, ejuſque leges ſervare non poſſe.

Equidem ſcio, S. Chryſoſtomus ſerm. contra Judæos inquit, noſtrum plures ſeſe excuſare eo quod divinæ legi non pareant, neque ſalutem ſuam operentur. Alii quidem ſe conjugem habere cauſantur, alii ſibi plures eſſe filios; hi, vivendum ſibi eſſe, prout dignitatis ſuæ poſtulat ratio; illi, ſe negotiorum impedimentis implicitos eſſe, vel inter militarem licentiam verſari. Quidam ſuam prætexunt paupertatem, ac neceſſitatem ſerviendi, ſibique victum frontis ſudoribus comparandi. Verum adeſt mihi, Sanctus hic Doctor ait; affirmo nullum eſſe ſtatum, vel conditionem, ubi, tot licet ingeminetis excuſationes, eminentem ſanctitati gradum acquirere nequeatis. Conjugem habetis; Moyſes quoque matrimonio junctus erat. Heu! quid prohibere vos poteſt, ne ſingulis diebus, ut ille, voſmet colligatis cum Deo de ſalutis veſtræ negotio collocuturi, eique gratias acturi? Plures habetis filios; Mater Machabæorum ſeptem filios habebat, at nihilominus ſancta fuit, & ubi opus fuit, amorem Dei filiorum ſuorum amori præferre non dubitavit. Nobiles eſtis, ideoque veſtrum vos genus cogit, ut in mundo emicetis; David quoque, Joſias, & Ezechias, æque ſaltem ac vos, nobiles erant: populorum, ac provinciarum regimen, & cura minime prohibuit, quo minus per orationem cum Deo diutiſſime verſarentur; in magnitudine humilitatem ſervarunt, & vixerunt in aula, quin vitiorum ejus labe inficerentur. Judices eſtis: hoc tanto magis ad virtutem exercendam vos adigit: hoc ipſum munus erat incomparabilis Samuelis. Exemplum

hoc imitamini, atque in judiciis veſtris irreprehenſibiles eritis: necnon illud vobis præbebit occaſionem præſtantiſſimas quaslibet virtutes exercendi. Divites eſtis: Abraham vobis fortaſſe erat ditior. Heu numquid, ut ille, eſtis orphanorum parentes, advenarum hoſpites, egenorum patroni, atque nutritii? & opes veſtræ nonne magno vobis eſſe poterunt adjumento, ut Sancti fiatis? Pauperes eſtis, & per paupertatem plurimis morbis obnoxii: videte pauperem Lazarum, quem ipſa paupertas ſanctificavit, atque in Abrahæ ſinu conſtituit. Artifices eſtis, totamque diem, nec mediocrem noctis partem laboribus impenditis ad familiæ victum comparandum? S. Joſeph glorioſus Deiparæ Virginis Sponſus nonne & ipſe faber erat lignarius? ipſe tamen in artis ſuæ exercitatione præſtantiſſimis virtutibus ampliſſimam in cœlo ſedem promeruit. Militiæ nomen dediſtis: mementote ſtrenui illius Centurionis, de quo loquitur evangelium, qui non ſecus ac vos in caſtra, aciemque pergebat, quem nihilominus tanta fide, zelo, & charitate præditum videtis, ut Dei filius quaſi admiratione perculſus eum laudibus celebraverit. Hac inductione S. Chryſoſtomus utitur probaturus, nos quocumque in ſtatu ſimul poſſe perfecte Dei legem ſervare. *P. Texier pro feria quinta poſt Cineres.*

In quolibet ſtatu eſſe poſſumus religioſi divinæ legi obſervatores.

Deus ſtatibus, atque profeſſionibus omnibus inconcuſſum præbuit fulcrum, & fundamentum, cum illis legem ſuam tribuit. Servate legem hanc in corde veſtro, & greſſus veſtros confirmabit, quantumvis lubrica via ſit, per quam ambulatis: *Lex Dei ejus in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus ejus.* Pſ. 36. Inter familiæ impedimenta, negotii curas, ipſumque belli tumultum, inviolabilis legis hujus amor cor veſtrum in pace continebit; nullumque ſcandalum vos avertere poterit: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Pſ. 118. Vultiſne in ſtatu veſtro ſanctam ducere vitam? Cum videbitis verſutias, & fraudes, quæ in aula graſſantur, adeo communem in juſtitia corruptionem, adeo frequentes in nundinis dolos, in artibus pravam fidem, & furta, cum David Pſ. 118. clamate: *Viam iniquitatis amove a me*, quam in ea, quam profiteor, conditione peccatores vulgo ſequuntur. *Idem.*

Chriſtianiſmi ſtatus etiam magis profanos ſanctificat.

Dei filius, qui ſupremus eſt legislator, abjectiſſimas quaslibet conditiones quodammodo ad ſupernaturalem ordinem evehit; quandoquidem facit, ut noſtræ inſerviant ſanctificationi. Itaque licet nobilis, judex, miles, mercator, artifex ſis; eſto quidem: adhuc tamen majus aliquid es, quippe Chriſtianus es, quæ omnium qualitatum tuarum princeps eſt, ac præſtantiſſima. Cum igitur Chriſtiani ſtatus ſit ſtatus ſanctitatis, eumque alioquin ab aliis ſtabibus ſeparare minime valeas, & illum tecum belli, & domi, in foro, & in negotiatione, quocumque pergas, & quamcumque profeſſionem exerceas, ſemper tecum geras, felici neceſſitate opus eſt, Chriſtianiſmum hunc quocumque ſecum ferre ſanctitatem, & efficere militem ſanctum, judicem ſanctum, ſanctumque mercatorem. Hæc erat Tertulliani ſententia: parum intereſt, ubi ſis, vel quam profeſſionem exerceas: etenim in omnibus hiſce ſtatibus, ſi Chriſtianus es, extra ſæculum es. *Idem.*

Honeſtus homo nihil habet homini chriſtiano oppoſitum.

Honeſtus homo ſervare novit officia, mores, & quidquid civilem alere poteſt ſocietatem; novit ſatisfacere iis muneribus, quæ ſanguinis vincula, & eſſentiales, atque domeſticæ affectiones imponunt illi: novit ſuum tenere locum, familiam regere, ac filiorum ſuorum dignitati conſulere. Hæc autem hominis honeſti ſigna nihil habent a veri Chriſtiani characteribus abnorme: nam quamvis eſſentia tota, totuſque religionis ſpiritus æque in ſociabili Chriſtiano, ac in ſolitario eſſe debeant; attamen utriuſque vitæ ratio, quod ad externum ſpectat habitum, & officia, longe differre debet; velle enim in mundi hujus commercio vivere, ut decet in ſolitudine, hoc ita monſtro ſimile videtur, S. Hieronymus inquit, ac velle in ſolitudine, atque inter clauſtra mundanam vivere vitam. Et ſane ut in recta via ambulemus, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram flectendum eſt, quod accidit dum in extrema vitia fit lapſus, vel de diſſipatione in receſſum, vel de nimio receſſu in ſocietatem. *Specimina Sermonum pro 8. poſt. Pentecoſt. Dom.*

Omnibus ſæculis non defuere in ipſo mundi tumultu, qui ſancte vixerunt.

Quis neſcit, omnibus fere ſæculis extitiſſe principes, regeſque ſanctos; & plures, qui populis regundis præfuere, & primas obtinuere dignitates, in illis ſanctificatos fuiſſe adeo præclarum ordinem qua prudenti conſilio, qua ſuæ ſanctitatis exemplo conſtituentes, ut populi vitium perhorreſcerent, ac motu proprio pietatis exercitia amplecterentur? Quot mortales genere clari, quot viri, ac matronæ principes, quot utriuſque ſexus nobiles in hac mundi luce ſanctam vitam duxere? Et quamquam conditionis neceſſitas eos ſemper in mundo implicitos detineret, interiori tamen affectu ab eodem ſeparati erant, ſecretis gemitibus teſtantes Deo juxta Reginæ Eſther exemplum horrorem, quo ſæculi pompas, & vanitates execrabantur. Vita eorum jugis erat obtutus in Deum, jugis occupatio de Deo, jugis bonorum operum exercitatio, præſertim vero charitatis, miſericordiæ: ita ut inanis tantum eſſe poſſit excuſatio, aſſerere fieri nequaquam poſſe, quod qui in principum aula vivunt, vel qui ſummis decorati ſunt dignitatibus, ſancte vivant. *Moralis in P. l. 8. ſect. 4. a. 5.*

De humana politica, & chriſtiana urbanitate.

Inter homines deprehendimus urbanitatem aliam humanam, aliam politicam, & aliam chriſtianam. In prima non deeſt bona fides, atque ſinceritas, in ſecunda cupiditas, & diſſimulatio, in tertia denique charitas. Humana urbanitas ea eſt, qua proximi amorem nobis conciliare conamur, illi amorem noſtrum teſtantes; æſtimationem ejus, illi obſequentes; opem denique, operam noſtram illi offerentes. Cum enim aliorum amore, & ſubſidio indigemus, natura in nobis excitat deſiderium, atque ea nobis ſuggerit in ea urbanitate adminicula, quæ proprie honeſtum hominem conſtituit. Politica urbanitas prioris externam ſpeciem induit, ſed ſpiritu cupiditatis, qui nihil aliis tribuit, niſi ut inde aliquem referat quæſtum. Chriſtiana tandem urbanitas alios amore prævertit, aliorum neceſſitatibus opitulatur, illis, quantum ordo mundi pati poteſt, cedit eoſque ſincera charitate complectitur. Hæc proximi benevolentiam non improba indulgentia, ſed amore conciliat, ut mox hæc benevolentia nos illis inſerviendo aptiores efficiat. Hæc alios honorat; ſi enim religio nos docet Deum in ara colere, chriſtiana urbanitas illum docet in noſtri ſimilibus revereri. Hæc, qui meritis debeatur honor, officiis oſtendit, atque amoris demonſtratione eam docet, quæ virtutibus debeatur, reverentiam. *Liber cui titulus, Le Conduite du Sage.*

Honeſti hominis elogium, & character.

Hæc honeſti hominis qualitas abſolutiſſimum eſt elogium; titulus eſt iis præſtantior, quos dignitas, atque fortuna conferre poſſunt. Ad illum promerendum poſſidendæ ſunt in gradu eminenti virtutes omnes, quia probitas vera perfectam ſupponit integritatem, inflexibilem rectitudinem, non fucatam generoſitatem cum modeſtia, quæ in omnibus, quæ dicuntur, quæque fiunt, eluceſcit. Honeſtus homo omnia ſtatus ſui obſervat officia, quin proprii characteris obliviſcatur, vel eas prætereat regulas, quas ſuum munus præſcribit. A juſtitiæ ſemita non magis, quam a ſtadio ſuo Sol, poteſt deflecti. *Auctor Anonimus.*

Nullus honeſtus eſt homo ſine religione.

Nemo honeſtus eſſe poteſt, niſi religionem habeat, neque ea adimplere omnia, quæ hominibus debet, ſi deſit iis, quæ debet Deo. Hoc efficit, ut plerique, quibus parum religionis eſt, parum viciſſim habeant humanitatis; & paſſim videmus irreligioni intemperantiam, & crapulam, & effuſiſſimas libidines accedere. Hæc omnia flagitia honeſti homines perhorreſcunt; tantum abeſt, quod honeſtum illum putent, qui ſeſe iiſdem mancipaverint. *Auctor Anonymus.*

Ratio, qua honeſtum homo agere debet.

Verax meritum nequaquam poſitum eſt in jucunda quadam morum feſtivitate, ſed in corde recto, ac ſpiritu ſolido, atque compoſito. Hoc perſuaſum eſſe debet, ubi deſit honeſtas, nullam apud homines exiſtimationem mereri. Ignavum eſſe, qui ſatis putat eſſe, ſi ab aliis ſuſpiciatur, quia illi honeſti ſunt, non autem quod ſit ipſe honeſtus: eos, qui vera ducuntur gloria, velle potius ſuis, quam alienis, bonis qualitatibus debere eam voluptatem, quam inde percipiunt: honores, qui ſuo nomini, vel dignitati deferuntur, illis ingratos, & injucundos eſſe, niſi ſuis meritis debeantur: honeſtum hominem quacumque in occaſione non ingenio, libidine, affectuque trahi, ſed ratione, & honeſtate: ſe ad bene agendum nequaquam agi alienis officiis, ſed regulis, quas ille ſibi præſcripſit, ne umquam iis deeſſet, quæ officium, & urbanitas exigunt, nulla habita ratione modi illius, quo alii ſecum operantur. Denique illum ſemper eumdem eſſe qualibet in occaſione, quæcumque vel ſuæ, vel alienæ fortunæ accidat mutatio. *Idem.*

In quo honeſtas vera conſiſtat.

Si veram honeſtatem noſſe, & exercere vultis, hæc ſita eſt in hoc, ut in omnibus actionibus veſtris magnam præ vobis feratis æquitatem; libenter probetis ea, quæ probanda ſunt; bona fide omnes aliorum virtutes commendetis, & ne improbe inimicorum etiam virtutes deterrere; eiſque laudum teſtimonia, quæ merentur, negare velitis; & denique ut aliorum rationem habeatis, bonamque erga illos foveatis voluntatem, non ut voſmetipſos illis commendetis, ſed ut ea præſtetis, quæ homines ſibi alterutrum debent. Oportet demum ſcire, non ſatis eſſe ob conſcientiam, & religionem a malo abhorrere; ſed egere nos quadam honeſtate, quæ bonam fulciat exiſtimationem quam ut apud viros bonos tueamur, Sapiens etiam

atque

atque etiam hortatur. Etenim ex omnibus characteribus hominum nulli magis metuendi ſunt, quam qui irregularem, ac parum cordatam vivendi rationem ſequi poſſunt contra publicum judicium, necnon honeſtorum hominum cenſuram contemnere non aliis ſuffulti rationibus, quam ingenii ſui libidine, & quin negotium illis faceſſat, quidquid ſapientes, honeſtique viri dicturi ſunt. *Idem.*

In omnibus conditionibus quædam ſunt officia, quæ neceſſario ſunt obeunda.

Nullus ſtatus eſt, nulla conditio, cui Deus propria non adjecerit officia? & unaquæque peculiaribus muneribus repleta eſt. Nemo eſt, cui Deus talenta commiſerit, qui non teneatur illa in iis impendere, quæ hic ſupremus bonorum omnium diſpenſator exigit, & qui rationem eidem reddere minime debeat. Monarcha æque, ac paſtor illi vitæ ſuæ rationem ſunt reddituri; atque eorum potiſſimum negotium eſſe debet, ſeſe præparare, ſemperque paratos eſſe, ut cum a ſupremo judice vocabuntur, reddere valeant rationem modi illius, quo credito ſibi munere fuerint perfuncti. *Abbas Trappenſis in moralibus Conſiderationibus in S. Lucæ Evangelium.*

Varia officia, quæ adimplere tenemur.

Ad catholicam fidem vocatio, conditio, in qua nati ſumus, vitæ genus, quod conſulto Deo ſumus amplexi, munera, quibus in civili vita onerati ſumus: hæc omnia quædam complectuntur officia, quæ nobis tamquam Altiſſimi præcepta habenda ſunt. Hæc ſumma fide officia adimplere debemus, ita ut ne unum quidem prætermittatur; eorum laborem perferre, ac tædia ea conſtantia ſubire, quæ nulla umquam re valeat deterreri; illis toto ſpiritu, & corde adhæreſcere: hoc eſt Dei obedire mandatis. Diligentia hæc vera virtus eſt, quæ fulgorem ſuum mutuatur a jugi bello, quod pro Dei amore, & contra proprium amorem ſuſtinet. *Auctor Anonym.*

Omnia diligenter munera ſua adimplere, eſt amorem proprium vincere, ſolidamque virtutem habere.

Quænam eſt amoris proprii licentia fallacia tantum ratiocinia ſua ſequentis, & quidquid ſibi crucem figit fugientis? Quinam ſunt impetus, & ſollicitudines ejus pro iis omnibus, quæ nitent, & fulgent? Quodnam tædium nobis inſpirat pro communibus, vulgaribus, obſcuriſque occupationibus, quæ ſibi mutuo ſuccedunt & quæ quotidie eodem ordine revertuntur? Quænam artes ad evitandas ſpinas, quæ veluti ſub pedibus nobis qualibet in conditione oboriuntur, & quæ omnes ſtatus, omniaque munera noſtra circumundique ſepiunt? Quænam impatientia, quod murmur, quæ querela, & ſæpe quæ rebellio, quinam tumultus, dum coercetur, eique reſiſtitur? Quicumque igitur religioſe iis ſatisfacit muneribus, quæ nobis noſtra ad fidem catholicam vocatio injicit; quicumque forti animo ſuffert pondus conditionis, ad quam vocatus eſt; quicumque fideliter adimplet officia ſtatus illius, quem Deo conſulto eſt aggreſſus; quicumque graves, ac moleſtas muneris ſui occupationes jucundis, & voluntariis præfert exercitationibus exterioris pietatis, cujus fallax fulgor oculos perſtringit; quicumque hujus eſt characteris, caſtigat, redigitque ſub Dei legem omnes amoris proprii motus; & vir hac virtute præditus ille vere eſt, quem Sapiens inquirit non mundana, ſed immortali gloria coronaturus. *Fecit enim mirabilia in vita ſua.* *Idem.*

OPERA.

Bona opera, & actiones bonæ: harum meritum, & neceſſitas.

MONITUM.

HOc in loco de bonis operibus generatim dumtaxat agendum eſt, quin de ullo ſingillatim ſermo fiat; ſingulis enim ſuum attribuimus titulum, veluti orationi, eleemoſynæ, jejunio, & aliis, quæ totam chriſtianæ religionis diſciplinam componunt. Immo neque omnes eorum ſpecies recenſentur, puta ea, quæ miſericordiæ, charitatis, pœnitentiæ vocantur, neque omnes virtutis actiones, quas quilibet fidelis exercere tenetur, & ſine quibus nequit officia religionis obire. Officia hæc, generatim loquendo ſunt credere, & facere; fides, & bona opera; ita ut alterutro deficiente, hæc non ſit amplius vita chriſtiana, æternaque damnatio evitari non poſſit. De his igitur bonis operibus a fide mere theoretica diſtinctis, & in fide practica contentis, hic agimus.

Itaque in hiſce collectaneis invenientur ea, quæ ad bonorum operum, bonarumque actionum neceſſitatem, meritum, ac præmium pertinent; nam quæcumque afferatur inter duplicem hunc terminum diſtinctio, hoc in argumento confundendi ſunt, cum alter ſine altero eſſe non poſſit. Neceſſe non eſt, niſi mera controverſiæ inſtituatur ſermo, fuſius verba facere de Hæreticorum hac in re errore, qui non extremum ex præcipuis Catholicorum dogmatibus conſtituit; ſed etiam atque etiam hortandi fideles ſunt ad bonorum operum exercitationem, atque oſtendendum quam plurimos damnari, eo quod officium ſaluti adeo neceſſarium negligunt, & omittunt.

Animadvertendum eſt tamen argumentum hoc cum aliis pluribus cohærere, quorum quamdam veluti partem efficere poteſt: hujuſmodi ſunt, temporis bene inſumpti ratio, otii fuga, nomen, & conditio Chriſtiani, ipſaque fides, quæ ſine operibus mortua eſt. Concionatoris eſt, hæc ſeparare argumenta invicem ſibi inhærentia, nihilque in ſingulis adferre, quod eorum proprium non ſit, & peculiare.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Syſtemata.

I. QUamquam Dei filius morte ſua æternam promeritus nobis fuerit felicitatem, vult tamen eam nos acquirere, ac noſmet bonis operibus poſſeſſione illius dignos præbere. Quamobrem in hac concione oſtendam, 1. neceſſitatem bonorum operum, ſine quibus nullus fidelis (de adultis loquor) ſalutem ſuam operari poteſt: 2. defectus, qui in bonis operibus obrepunt, eorumque meritum auferunt: 3. qualitates, & conditiones, quæ in bonis operibus requiruntur, ut cœlum, ac præmium illis promiſſum mereamur.

Pars prima. Quod ſpectat ad neceſſitatem, Theologi duplicem illius ſpeciem diſtinguunt: alteram quidem neceſſitatem præcepti, quæ explicito ſummi legislatoris imperio innititur præcipientis, ut hac omnino via mortales ad ſupremam perveniant felicitatem; alteram vero, quam medii neceſſitatem appellant, quia vix fieri poteſt, ut id aliter fiat. Oſtendendum eſt autem ſine bonis operibus (quo nomine intelligimus exercitationem virtutum, & chriſtianarum actionum, quæ ſtatum, & conditionem ſingulorum decent) neminem ſalvari poſſe, neque gloriam, ad quam Chriſtianus factus eſt, promereri. Primum igitur neceſſaria ſunt neceſſitate præcepti; quia & generatim, & quodlibet ſingillatim, imperata ſunt: generatim quidem; dixit enim Salvator, niſi juſtitia noſtra videlicet opera noſtra bona abundaverint, pluſquam opera Scribarum, & Phariſæorum, nos nequaquam in cœlum eſſe ingreſſuros. Imperat ergo, ut fiant; quandoquidem exigit, ut opera noſtra & numero, & perfectione præſtent operibus Phariſæorum, qui proculdubio quædam faciebant; quippe ſe præ cæteris religioſiores legis obſervatores eſſe gloriabantur. Ad hæc nonne præcipit, ut electionem noſtram ad fidem, noſtramque prædeſtinationem ad gloriam bonorum operum exercitatione certam faciamus? Nonne ſexcentis in Scripturæ locis videmus, imperari, ut totam legem adimpleamus? Hæc autem nonne totidem ſunt bonorum operum præcepta? Sin autem ſingillatim rem intueri velimus, nonne præceptum habemus erogandæ eleemoſynæ faciendi